

# FONTI PER LA STORIA DEI SOMASCHI

---

22

---

## ORDINI E COSTITUZIONI FINO AL 1591

### V

COSTITUZIONI DEL 1591

EDIZIONE

*a cura di*

CARLO PELLEGRINI C.R.S.

ARCHIVIO STORICO DEI PADRI SOMASCHI – N. 18  
ROMA – CURIA GENERALIZIA DEI PADRI SOMASCHI – 1993



**ORDINI E COSTITUZIONI FINO AL 1591**

**V**

**COSTITUZIONI DEL 1591**



## INTRODUZIONE

### *1. Padri impegnati dal 1586 al 1591 nella preparazione di un testo di costituzioni*

Negli Atti dei Capitoli generali dal 1586 al 1591 sono indicati alcuni padri, ai quali furono assegnati incarichi per la preparazione del nuovo testo delle costituzioni.

Nel 1586 fu dato incarico al padre Alessandro Cimarelli e Luigi Mignorini di accomodare le costituzioni della Congregazione. Nel capitolo del 1588, posta la questione «quid agendum de novis constitutionibus», fu ordinato che i padri vocali ne esaminassero il testo, ne facessero le loro eventuali osservazioni e in caso affermativo si giungesse alla conferma. Nel capitolo del 1589 fu deciso che si discutesse le Costituzioni, che furono approvate per il secondo anno, e che il padre generale desse l'incarico a due vocali di rivedere il testo latino. Nel capitolo del 1590 fu dato l'incarico di rivedere le nuove costituzioni ai padri Giovanni Battista Fabreschi, Battista Assereto, Battista Fornasari ed Evangelista Dorati e di riferire nel prossimo capitolo quanto avrebbero ritrovato degno di correzione o aggiunta.

## *2. Testo manoscritto, testo stampato*

Del testo manoscritto si conserva copia nel museo civico Correr di Venezia (ms. Cicogna 96) così intitolato: «Libro nel quale è la regola di Santo Agostino manoscritta, le nostre Constitutioni fatte dopo la bolla di Pio PP. V et una piccola Chronica dell'origine della nostra Congregatio-ne scritta per mano del padre don Cesare Musso, della quale fu auttore, come l'istesso padre che la scrisse mi disse, il padre don Evangelista Do-rato».

Nel 1591 fu stampato a Venezia il testo: «Liber Constitutionum Cler. Regularium S. Maioli Papiae seu Congregationis Somaschae». Il testo è distribuito in tre parti: la prima «Constitutiones genericas et uni-versales», la seconda: «specificas et particulares», la terza «poenas tum genericas tum speciales constitutionibus correspondentes».

Tra il testo manoscritto e quello stampato vi sono le correzioni ope-rate dai padri Fabreschi, Assereto, Fornasari e Dorati.

Esse consistono nella distribuzione del testo in tre parti; nell'ag-giunta alla prima parte dei capitoli: «de aggregandis, de apostatis, de ex-cessibus superiorum, de mutatione personarum»; nella seconda parte: «personae in specie concernentes et poenae eis correspondentes, de otio vitando, de ordine et loco cuiuscumque, de tempore comitiorum vel die-tae, de aere alieno non contrahendo». Le modifiche nel testo delle prime due parti sono soprattutto una breve aggiunta conclusiva ad ogni capitulo. Nella terza parte invece le differenze consistono nella distribuzione e nella presentazione: mentre nel testo manoscritto vi è un elenco di 131 pene, nel testo stampato esse sono distribuite nei seguenti capitoli: «De poenis correspondentibus praevaricationibus in constitutiones, De poe-nis exempla communia, De culpa levi et eius poena, De culpa gravi et eius poena, De culpa graviori et eius poena, De culpa gravissima et eius poena, De quibusdam poenis particularibus».

L I B E R  
CONSTITUTIONVM  
CLER. REGVLARIVM  
S. MAIOLI PAPIÆ,  
SEV CONGREGATIONIS  
SOMASCHÆ  
Tria capita complectens :

Quorum primum continet Constitutiones genericas,  
& yniuersales.  
Secundum, specificas, & particulares.  
Tertium, pœnas tium genericas, tum speciales consti-  
tutionibus correspondentes.

*EDITVS ANNO DOMINI M D XCI.*

*in sexta determinationem factam in Comitij  
celebratis Vicentie.*



VENETIIS, M D XCI.



# CONSTITUTIONES GENERICAE ET UNIVERSALES

*De comitiis celebrandis.*

Comitia generalia quotannis celebabantur, nisi ingens bellum, saeva pestis vel dura fames generalis aliter expedire docuerit et in eis vel novus creabitur Praepositus generalis, vel iam electus confirmabitur usque ad triennium.

Ordo autem et modus comitorum is erit. Omnes vocati praesto erunt semper sabbato ante secundam dominicam a paschate Resurrectionis, praeposito generali et cancellario advenientibus feria quarta vel quinta immediate praecedenti.

Vocandi autem erunt omnes vocales, nisi necessitas alicuius collegii vel loci, in quo plures essent vocales, aliud requireret ad iudicium praepositi generalis et duorum consiliariorum, quorum conscientiam oneramus. Tertio tamen quoque anno vocari poterunt alii tum praepositi tum rectores, quamvis vocales non essent, idque pro pleniori locorum sibi commissorum informatione, ad arbitrium eiusdem praepositi generalis et consiliariorum.

Locus autem comitiorum erit semper unum ex nostris collegiis, ad nutum eiusdem praepositi generalis et consiliariorum, nisi aliter plenis comitiis vel in dieta fuerit aliquando deliberatum.

Adventantes autem recipiantur omni tum charitate tum alacritate. Ideo praepositus generalis adsignabit aliquos, qui et pedibus abluendis et suppellectili servanda et aliis eiusmodi incumbant non minus alacriter quam diligenter.

Dominica ergo secunda post Pascha, etiam si multi ex vocatis abessent (quisque autem studere debet adesse) cantetur missa solemnis de Spiritu Sancto vel a praeposito generali vel ab alio ex dignioribus, caeteris [f. 2v] omnibus celebrantibus et orationem de Spiritu Sancto addentibus; quod etiam fiet eodem, vel praecedenti, vel subsequenti die in omnibus locis nobis subiectis, ut multiplicatis intercessoribus Dominus quod petimus facilius largiatur.

Eodem die a prandio hora competenti, campanula de more pulsata, congregentur omnes tam vocales quam caeteri, quos ibi contingit adesse, tuncque praepositus generalis vel vicarius dicat versum: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, respondentibus caeteris: *Qui fecit caelum et terram; Vers.: Benedicite; resp.: Deus; Vers.: Dominus nos benedicat et ab omni malo nos defendat et ad vitam perducat aeternam, et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace; resp.: Amen.* Deinde fiat confessio generalis et absolutio, ut fit ad completorium, subdente praeposito generali vers.: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur; resp.: Et renovabis faciem terrae; vers.: Cor mundum crea in me Deus; resp.: Et spiritum rectum innova in visceribus meis; vers.: Domine exaudi orationem meam; resp.: Et clamor meus ad te veniat; vers.: Dominus vobiscum; resp.: Et cum spiritu tuo.* Deinde dicat: *Oremus: Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum dominum nostrum; resp.: Amen. Oremus: Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulos tuos et super congregaciones illis commissas spiritum gratiae salutaris et, ut in veritate tibi placeant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde. Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam et toto corde tibi prostratam ab hostium propitiis tuere clementer insidiis. Per Christum dominum nostrum; resp.: Amen.*

Deinde, sedentibus omnibus, praepositus generalis sermonem habeat, quo causa comitiorum explanetur, omnes ad unitatem extinentur et ad bonam electionem, simulque cohortentur ad modestiam tum domi tum extra servandam. Moneat non egrediendum sine venia, praecipiat inde ne quis durantibus comitiis coenae vel prandii gratia extra remaneat. Moneat insuper si quis novit quempiam voce esse privatum et denuntiet. Declaret ipso facto omnes esse privatos omni administratione, unde et proprietarius erit iudicandus, qui [f. 3r] aliquid sine licentia fecerit, emendo, donando, vel similia faciendo. Deinde nominet confessarios duos vel

tres. Constituat qui missarum curam substineat, qui temporis rationem habeat, ut omnia statutis horis fiant, qui cibis praeparandis praesit, qui cubiculos et lectulos patrum curet, quique ianuae assistat, moneatque neminem debere litteras vel dare vel accipere sine licentia.

Quo facto, recedentibus non vocalibus, genuflexi omnes dicant: *Veni creator Spiritus*, etc. cum versiculis et orationibus ut infra assignabitur in orandi formula, toties repetenda quoties patres capitulum ingressi fuerint.

Formula orandi in initio capituli.

*Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende. Kirie eleison, Kriste eleison, Kirie eleison. Pater noster. Credo.* Clara voce.

*Vers. Emitte spiritum tuum et creabuntur.*

*Resp. Et renovabis faciem terrae.*

*Vers. Domine, exaudi orationem meam.*

*Resp. Et clamor meus ad te veniat.*

*Vers. Dominus vobiscum .*

*Resp. Et cum spirito tuo.* *Oremus.*

*Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praeclide super famulos tuos et super congregaciones illis commissas spiritum gratiae salutaris et, ut in veritate tibi placeant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde. Per Christum dominum nostrum.*

*Resp. Amen.*

*Mentes nostras, quaesumus Domine, lumine tuae claritatis illustra, ut videre possimus quae agenda sunt et, quae recta sunt agere valeamus.*

*Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam et toto corde tibi prostratam ab hostium propitiis tuere clementer insidiis.*

*Deus, largitor pacis et amator charitatis, da familis tuis veram cum tua voluntate concordiam, ut ab omnibus quae nos pulsant temptationibus liberemur. Per Christum dominum nostrum.*

*Resp.: Amen. [f. 3v]*

Addatur oratio titularis seu patroni ecclesiae.

In fine congregationis.

*Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison. Pater noster et  
Salve regina.* Clara voce.

Vers. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

Resp. *A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.*

Vers. *Domine, exaudi orationem meam.*

Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Vers. *Dominus vobiscum.*

Resp. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

*Praesta nobis, quaesumus Domine, auxilium gratiae tuae, ut  
quae te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per  
Christum dominum nostrum.*

Resp. Amen. *Oremus.*

*Protector noster, aspice, Deus, et ab inimicorum nos defende  
periculis, ut omni perturbatione semota liberis tibi mentibus ser-  
viamus.*

*Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mun-  
dum, illumina, quaesumus, corda nostra gratiae tuae splendore,  
ut digne maiestati tuae ministrare, teque in aeterna claritate dili-  
gere valeamus. Per Christum dominum nostrum.*

Resp. Amen.

*Retribuere dignare, Domine, benefactoribus nostris vivis at-  
que defunctis vitam aeternam. Amen.*

Praemissa ergo oratione ut supra, nominentur omnes vocales per cancellarium; sedentibusque omnibus, per ordinem, inventaria sacristiae, librariae et reddituum et omnium rerum notabilium quovis praeposito et rectore (qui protectoribus non sit subiectus in reddenda ratione) praeposito generali offerentur, quae insuper contineant omnia tum debita, tum credita, tum personas omnes in cuiusque loco degentes, tam professas quam non professas, quorum quidem inventariorum copiam secum deferet praepositus generalis et visitatores, ut ea conferre possint cum copiis relictis in manu vice tum praepositorum tum rectorum.

Quo facto, omnes a maiori usque ad minorem, nullo vocali

penitus excluso vel alio administrationem habente et ad comitia vocato, culpas proprias externas genuflexi fateantur scribente cancellario et singulis sigillatim exeuntibus, quisque addet quod noverit in quolibet correctione dignum, declarantes ad [f. 4r] cautelam culpas illas minime recensendas, quae in visitationibus correctae fuerint ed emendatae. Corrigere autem debebunt visitatores culpas omnes possibles correctu, nec eas ad comitia differre.

*De reverendissimo generali eligendo.*

Quibus peractis, monitis omnibus de secreto servando circa omnia quae ibi tractabuntur, ita ut nec liceat dicere: talis vel talis non inclinavit tali vel tali decisioni vel electioni; praepositus generalis deponet sigillum, illud duobus consiliariis consignando. Deinde capitulum egrediatur, donec de eo aliquid inquiratur, si quid erit inquirendum; quo rursus ingresso capitulum et in loco suo privato residente, ad novam illico deveniatur electionem, vel confirmationem, quae usque ad triennium differri vel prorogari vel extendi poterit.

Hoc modo autem fiet electio. Eligantur tres scrutatores per vota secreta et omnes nominati publicentur semel et iterum. Quod si illorum electio non successerit cum maiori scilicet suffragiorum numero, tunc tertia vice illi omittantur, qui minora et pauciora vota habuerint, et aliorum nominatorum plura vota habentium electioni insistatur.

Scrutatoribus electis, ipsi ab aliis semoti scribent nomen eius, in quem consentiunt ut in praepositorum generalem. Deinde ab aliis idem petent et scribent secreto, vel in eorum manus singuli singulas cedulas parvulas deferent, quibus nomen electi contineatur, illico comburendas, prout melius videbitur expedire. Et si duo votorum tertia in aliquem concurrerint, is electus censeatur. Nec volumus praepositorum generalem sigillum deponere, nisi ea hora in qua illico ad novam electionem deveniri possit. Quare, deposito sigillo, inde non egredientur vocales, nisi facta electione. Ante-

quam autem deveniatur ad illam (secus si de confirmatione solum agatur) ab omnibus iuramentum praestetur in manu consiliarii maioris de aptiori eligendo, considerata non solum personae dignitate, sed etiam religionis pace et quiete, dummodo de indigno non agatur. Ubi autem quis fuerit electus, concurrentibus duorum suffragiorum tertii, tunc scrutatorum senior, surgens, dicat: *In nomine Domini. Anno N. , mense N. , die N. , ego N. , scrutatorum maior huius capituli, Spiritus Sancti gratia invocata, meo et omium nomine, ad quos pertinet electio, eligo in praepositum generalem et electum declaro N.*

Declarantes ad cautelam neminem tractare debere de hoc vel illo eligendo, etiam per modum consilii; liceat tamen unicuique inquirere qualitates et conditiones uniuscuiusque [f. 4v].

Peracta electione, illico cantetur: *Te Deum Laudamus*, quo completo, omnes processionaliter adeant ecclesiam. Ibi, praeposito generali constituto ante altaris maioris gradus, senior professus vocalis accedat ad altare et versus praepositum generalem constitutus dicat: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis; Domine exaudi; Dominus vobiscum*, caeteris suos versiculos respondentibus. Deinde dicat orationem: *Omnipotens sempiterne Deus*, quae supra reperitur. Quo facto, iuret electus super altare de bono regimine praestando pro viribus iuxta constitutiones. Et tunc praedictus senior professus praesentet sigillum ipsi electo et omnes per ordinem illum reverenter amplectantur.

#### *De electione vicarii generalis et eius munere.*

In electione vicarii generalis idem omnino servetur ordo, praeter quam quod maior pars votorum satis erit, nec iuramentum praestabatur ab electoribus; quod et in omnibus aliis electionibus respective volumus observari. Semper autem eligetur, quoties praepositus generalis erit eligendus.

Is in absentia et praesentia praepositi generalis primum locum obtinebit ab aliis. Et si contingat praepositum generalem diem

suum obire, ipsum vicarium authoritate ordinaria loco defuncti volumus praesenti constitutione esse munitum, donec alter eligatur in futuro Paschate, ut supra. Quod si tam praepositum generalem quam vicarium ipsum (quod Deus avertat) contingere diem ultimum obire, tunc visitator senior professione ordinariam volumus habere iurisdictionem usque ad futuram electionem.

In reliquis eam tantum obtineat facultatem, quae a praeposito generali vel capitulo ei fuerit pro locorum et personarum dispositione assignata. In caeteris abstineat, nisi cum urgenti aliqua de causa, quae nullam patiatur dilationem, recursus ad praepositum generalem haberri non poterit.

Quod si contingat praepositum generale de provincia aliqua decidere, in qua non sit vicarius generalis, tunc liceat praeposito generali unum ex visitatoribus substituere loco vicarii, donec revertatur.

*De electione et munere consiliariorum.*

Duo consiliarii eodem ordine elegantur, quorum munus erit praepositum generalem semper assistere, dum comitia celebrantur. Curabunt hi edesse feria quinta vel sexta ante dominicam capituli initio assignatam; et, recendentibus aliis, ipsi remaneant affuturi praeposito generali, dum singuli ad eum accesserint pro monitione [f. 5r] singulorum ante discessum.

Eos consultet praepositus generalis in omnibus causis gravibus, quas capitulo proponeret, si adesset; praecipue autem in acceptandis eis provinciis, quae congregationi oneri esse possint. Horum munus etiam erit in literis omnibus, pro responsione illarum quae in capitulo lectae fuerint, praeposito generali opem ferre. Noverint autem consiliarii partes esse secreta sibi commissa non pandere.

Eorum tempus erit eo modo, qui et vicario generali assignatus est.

*De diffinitorum electione et munere.*

Diffinitores quatuor eodem ordine eligentur, tantundem temporis duraturi, non ultra; quod et de visitatoribus intelligatur.

Horum partes erunt electionibus quibuscumque in comitiis faciendis praesto esse, in rebus gravioribus semper interesse, ut in acceptandis novitiis, in disponendis personis eis loca assignando et huiusmodi, quibus si omnes vocales deberent praesto esse, nimis protraherentur comitia cum totius religionis dispendio. Quare, caeteris vocalibus concurrentibus in spectantibus ad universam congregationem, in reliquis, praecipue circa praepositorum et rectorum et aliorum officialium electionem, praesenti constitutione decalaramus totum negotium ipsis diffinitoribus esse relictum, inclusis praeposito generali, eius vicario, consiliariis et cancellario; declarantes ad cautelam quod si vicarius non fuerit de diffinitoribus neque de consiliariis, nihilominus assistat et suffragetur in electionibus praedictis.

In casu autem alicuius differentiae, existentibus tunc decem votis, videlicet duobus a praeposito generali provenientibus, duabus a consiliariis, quatuor a diffinitoribus, uno a cancellario atque altero ab ipso vicario, tunc et eo casu non suffragabitur cancellarius ipse, declarantes insuper quod qui huiusmodi officia et dignitates obtinuerint, ab eis quas obtinuerint ad biennium abstineant.

Ipsis etiam diffinitoribus aperienda erunt omnes litterae capitulo directae et de eorum consensu respondendum. Ipsi quoque feria sexta ante dominicam capituli praesto erunt ad multa disponenda.

*De electione et munere visitatorum.*

Sane non parum diligentiae pastoris requiritur in custodiendis ovibus, cum et pro eis animam esse ponendam Christus evidenter testetur. Verum illi rei in primis pastor omnis, veri et optimi pastoris vestigiis adhaerens, debet incumbere ut ovium [f. 5v] sua-

rum facile vultum cognoscat; idque non nisi illas saepe saepius invisens, consequi se posse sciat.

Praeposito igitur generali eiusque vicario, cum in ea provincia praepositus generalis praesto non est, super gregem custodire vigilias oviumque suarum studere saluti prae caeteris curae esse debet; nam nihil ita in religione pacem, spiritualemque animarum profectum instituit, auget et conservat, quam pastoris vigilans et indefessa ovium custodia.

Visitandi igitur munus praepositi generalis et eius vicarii licet praecipuum sit, a Spiritu Sancto nihilominus edoctae religiones quaeque aliquos speciatim ad id muneris consueverunt eligere, ut ad totius ferendum religionis pondus praedictis essent auxilio. Quapropter sanctorum institutionum imitatores, patres nostri quot sibi videbuntur necessarii pro temporum opportunitate visitatores eligerent, quos pro nunc non minori numero quam tres esse decernimus. Horum autem electio eo penitus modo fiet, qui supra aliis electionibus est assignatus.

Cum autem contingit, aliquo ex improviso eveniente casu non quocumque tamen sed alicuius ponderis, alium a visitatoribus aliquo mitti a praeposito generali, is solum in ea se causa intromittat, cuius gratia missus fuerit; qui quidem non visitatoris, sed commissarii nomine appellandus erit.

Visitatores autem, ut electi ad bonos mores in religione excitandos et instituendos et ad, si quae sunt, vitia coercenda, tales esse debent, qui quod alios docere opus habent, prius ipsi executioni mandaverint.

In visitationibus autem circa id eorum praecipue requiritur studium, ut in his locis, ad quae visitanda fuerint directi, videant quomodo divinus cultus vigeat, an tria professionis vota integre observentur, et sacrosanctae eucharistiae sacramentum eo quo debet honore custodiatur, caeteraque quomodo ministrentur sacramenta diligenter inquirant; insuper sacramentalium et reliquiarum, quatenus convenienti loco et debita cum reverentia asserventur, rationem habeant. Rursus si religionis statuta et regulae communes, ordinationes item peculiares, pro illis locis constitu-

tae sive per capitulum, sive per visitatores, sive quomodocumque ab omnibus, ut par est adimpleantur. Mores praeterea et cuiusque vivendi rationem investigare non praetermittent, sicut nec temporalium rerum administrationem, reddituum et expensarum computus sumendo, an fideliter et equaliter administrentur, sibi inquirendum erit.

Poterunt insuper visitatores pro locorum opportunitate ordines aliquos (iuxta tamen regulas et constitutiones religionis) condere, illorumque exempla ad comitia cum venerint deferant, quo a comitorum [f. 6r] patribus et a futuris visitatoribus de illorum observantia possit fieri inquisitio.

In coercendis autem delinquentibus delictorum gravitatem discretionis iudicio librantes, eos pro ut aequum est puniant, carceri adiudicantes si quem in enorme et grave delictum (praesertim si inde scandalum ortum fuerit) lapsum compererint. Demum omnia praestabunt, quorum a iure facultatem obtinent et quae a generali praeposito vel capitulo fuerint sibi concessa. Volumus autem visitatores teneri rationem reddere de omnibus, quae in visitationibus acceperint, praeposito generali et eius consiliariis. Et, si qui erunt ad sacros ordines promovendi, ab ipsis diligenti praevio examine admittentur.

Hunc vero modum observabunt visitatores. Congregata tota familia, flexis genibus dicat hymnum *Veni Creator. Emitte Spiritum. Memento congregationis. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Deus qui corda. Concede nos famulos tuos.* Et: *Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis et praesta in nobis religionis augmentum, ut quae sunt bona nutrias, ac pietatis studio quae sunt nutrita custodias. Per Christum Dominum nostrum.* Deinde faciat sermonem hortativum ad observantiam, charitatem, etc. Deinde praecipiat omnibus, ut quisque iuridice interrogatus referat quidquid habet accusatione dignum vel denunciatione pro congregationis utilitate et animarum salute. Superior autem dicat culpam coram vocalibus vel aliis discretioribus ad visitatoris arbitrium, qui munera nulla recipere possit.

*De procuratore generali et particularibus instituendis.*

Quia res magni ponderis quam saepissime apud Summum Pontificem tractandae occurrunt, aliquis instituendus erit, qui id muneric subiens, procuratoris generalis nomine insignitus, totius religionis negotia, quae in Romana curia tractanda erunt, illius veluti personam gerens, agat.

Huius electio per vota secreta fiet, concurrentibus ad suffragia omnibus vocalibus capituli, et ille, cui maior pars vocalium fuerit suffragata, huic muneri adscribetur.

Ille autem eligetur qui honestate vitae, morum integritate et scientia polleat, et qui in religionem singulariter affectus sit, qui que praeseferat se et religionis negotia fideliter diligenterque tractaturum et cuiuscumque gradus personis bonae conversationis religiosaeque vitae praebitum exemplum.

Tantum autem authoritatis, quantum a patribus in comiciis sibi fuerit concessum, vel alias a praeposito generali. Summam pecuniarum quam a patribus pro [f. 6v] peragendis negociis accepit, nec non et expensas in iis expediendis factas fideliter in libello describet, quem ad capitulum deferet vel mittet. Caveat autem pecuniam sibi creditam ne in alias res distrahat, quantumcumque honestas et utiles, sine licentia praepositi generalis, nisi in eas propter quas vel praeposito generali vel a quocumque alio fuerit sibi pecunia tradita.

In omnibus etiam sit subiectus visitatoribus, quatenus ipsis poscentibus rationem reddat suae villicationis.

*Qui numero vocalium capituli generalis sint adscribendi.*

Quoniam omne bonum totiusque religionis utilitas omnis a generali capitulo dependet, totumque illius sustinet onus, non passim et sine matura consideratione erunt cuiuscumque conditionis fratres inter vocales capituli admittendi, sed ii solum qui vita et moribus coeteros antecellant, quique prudentia et consilio

et scientia valeant in rebus arduis consulere, qui item per aliquot annos in religione fuerint probati, elapsusque fuerit triennium ad minus post admissam professionem; nec quisquam admittetur, qui aetatis sua ad minus trigesimum annum non attigerit. Vocalis autem nemo unquam erit qui vel apostataverit, vel qui in aliquo enormi delicto fuerit depraehensus, vel de quo probabiliter dubitatur ea, quae in comitiis tractantur, secreto minime retenturum ex evidenteribus inditiis, nisi secum fuerit plenis comitiis dispensatum; declarantes ad cautelam quod capitulum generale semper legitime censendum erit et omnia in eo facta, quamvis deessent multi vocales, dummodo extent litterae vel inditia clara, quibus vocales vocatos esse constet.

*De cancellario eligendo.*

Non satis laudis illi tribui posse videtur, qui primo scribendi adinvenit artem, cum inde tot innumeraque bona et infinitae oriantur utilitates, quarum haec praecipua videtur, quod per eam, quae a sanctis et illustribus viris ad commune totius naturae humanae commodum sancita sunt, ad posteros in infinitum usque pervenire possunt.

Huius rei gratia honestum videtur atque laudabile aliquem institui, qui cancellarii nomen obtinens, quae in capitulo decreta fuerint diligenter describat, ut omni tempore eorum, quae in religione acta fuerint, ad superstites cognitio valeat pervenire.

Eligetur autem et is per vota secreta, eiusque electio ad triennium fiet et ultra, pro ut patribus comitiorum videbitur expedire. Nemoque eligetur qui in numero vocalium capituli generalis ascriptus [f. 7r] non fuerit.

Habebit autem quatuor libros, in quorum primo, quae in comitiis tractabuntur, describet. In altero vero nomina et cognomina omnium fratrum professorum adnotabit, tam clericorum quam laicorum, diversa in parte. In tertio nomina vocalium conscribentur et dies et annus annotabitur, quo quisque in vocalem assumptus est. In

quarto omnium noviciorum nomina ac tempus acceptationis describet. Huius autem munus erit et litteras legere capitulo directas coram patribus, et propositiones ab eis propositas publice exponere.

*Qui in praepositos et rectores eligendi sunt et de eorum facultate.*

Eodem pene modo praepositi et rectores, quo praedicti omnes eligentur per vota nimirum secreta. Horum tamen electioni non intersint nisi praepositus generalis, vicarius generalis, duo consiliarii, quatuor diffinitores et cancellarius. Caeteri, ne nimium protrahatur capitulum, aberunt.

Ad quod quidem munus non eligantur, nisi qui probatae vitae et compositorum morum fuerint, ut sibi subditos fratres verbo et exemplo instruere valeant; nemo autem ad praepositi vel rectoris sive ad quamcunque aliam religionis dignitatem nisi post triennum ab emissâ professione admittatur.

Erit autem praepitorum et rectorum munus pacem et concordiam inter fratres seminare, divinum cultum augere, trium votorum observationi omnino studere, regulas generales et constitutiones tum communes tum cuius vis loci particulares observari facere.

Insuper convocare conventuale capitulum iuxta religionis constitutum et alias, quoties opus fuerit. In quo quidem capitulo, dictis culpis de more, omnia concernentia domum ipsam sive collegium tractanda et discutienda proponent; necessaria item in eo, pro uniuscuiusque indigentia, conformiter ad nostrum institutum omnibus ministrabuntur. Ministrationis autem rerum temporalium rationem reddere teneantur praeposito generali vel visitatori (qui, sui officii tempore expleto, et ipsi rationem reddere teneantur de omnibus futuro generali et consiliariis pro tempore).

Rursus praepitorum munus erit ter omnino aut quater in anno ad minus, et quoties sibi expedire videbitur, omnium fratrum cubicula invisere, ne alius esuriat, alias autem ebrius sit.

Duo praeterea inventaria apud se habere curabunt: alterum rerum sacristiae, alterum librorum conventionalium et aliarum rerum

notabilium; quorum utrumque ad capitulum deferent, relicta tamen copia penes vicepraepositorum, a quo [f. 7v] praepositor novus recipiet dicta inventaria et contenta in eis; et si inventaria non reperiat, ea de novo faciet ad praesentiam duorum de discretioribus. Praepositi denique et rectores omnia alia praestabunt, quae ipso iure ad eos pertinent.

Et quoniam praepositorum abesse contingit aliquando, in eius locum aliquis, qui eius gerat vicem e vicepraepositi nomine appelletur, substituendus erit; cuius electio ad conventuale capitulum, nisi alias in comitiis vel dieta declaretur, pertineat. Si tamen in illo collegio sit aliquis vocalis in comitiis receptus, is vicepraepositor omnino sit; et si plures vocales adsint, senior professione erit vicepraepositor; cuius auctoritas tanta erit, quanta a praeposito sibi fuerit concessa. Huius locus erit post praepositorum immediate.

A reverendissimis autem ordinariis nullam quique praepositi et quorumcumque locorum superiores provinciam suscipiant, nisi habita facultate a capitulo generali, vel ab ipso generali praeposito.

Quod si per praepositos sive rectores aliquos contractus fieri contingerit, omnium vocalium conventus vota requirantur, eaque ei adhibeat forma, quae ab ipsis legibus decernitur.

Praepositi autem non eligantur, qui nequeant subire communites observantias ut in plurimum; moneant autem frequenter suos subditos ad regularem disciplinam, eosque excitent sanctis cohortationibus.

Durabunt autem praepositi ad triennium, nisi urgens aliqua causa aliud doceat, ad arbitrium praepositi generalis, consiliariorum et diffinitorum. Interveniente autem obitu alicuius praepositi, vicepraepositor succedat, donec aliter fuerit provisum per praepositorum generalem, qui vel illum confirmabit, vel alium mittet, vel alium ex dicto collegio nominabit, qui vicarii nomine insignitus ordinariam praepositi habeat autoritatem. In casibus autem urgentibus, qui nullam dilationem patiantur, liceat propinqioribus vel visitatori, vel diffinitori, vel etiam vocali de remedio opportuno providere, donec adsit praepositor generalis illico admonendus.

*De novitiis recipiendis.*

Non mediocris consideratio habenda, quin opus est magna prudentia in recipiendis ad religionem novitiis, ut ii solum recipiantur, quorum progressus futurus dignoscatur, sintque religioni futuri utilitati et honori, non oneri et scandalo.

In primis igitur hi recipiendi erunt, quorum bonae conversationis et honestae vitae plena habeatur cognitio, qui nulla corporis detineantur infirmitate, qui item non sint matrimonio astricti, vel formaliter [f. 8r] servi, vel aere alieno onusti, vel ratiociniis vinciti, et denique qui iis qualitatibus sint praediti, quae muneri, ad quod obeundum in religionem recipiuntur, necessariae fore censentur. Nullus admittatur, qui alterius religionis habitum per quantumvis breve temporis spaciū suscepere; neque aliquis recipiatur ante decimum quintum annum completum, nec post transactum quadragesimum, nisi aliter plenis comitiis decernatur.

Quo autem novitii in religionis observantia morumque integritate facilius edacentur, minusque ex eorum recessu scandalum nasci valeat, omnino unum, duo, vel plura loca, si fieri possit, pro iisdem tantummodo eligenda erunt (laici tamen in omni collegio probationem facere poterunt); necnon aliquis ex patribus vitae sanctioris, honestiorisque conversationis, discrete consilii in eorum praceptorēm eligatur, qui eos et in Dei timore et in religionis observantiis erudiat.

Omnino autem prohibendum erit omnibus professis, ne eorum curae sese intromittant, neque cum illis conversentur sive loquantur quocumque modo absque licentia praepositi loci sive praceptoris illorum; quibus exceptis, nemo novitios redarguat. Et non dimoveantur de loco ad locum nisi post emissam professionem, nisi aliqua necessitas aliter doceat.

Quo autem ad alia, quae ad ipsos novitios pertinent, habeatur relatio ad regulas et peculiares ordines pro illis constitutas. In reliquis observetur ad unguem constitutio Sixti quinti, cui relatio habeatur, ubi inter caetera cavetur, ne sine capitulo vel dieta quis recipiatur, qui annum suae aetatis sextum decimum excedat.

Durante autem noviciatu nemini detur officium sacristae, vel ianitoris, vel aliud exigens communicationem cum saecularibus.

*De promovendis ad ordines.*

Si quis ex professis in habitu clericali minoribus vel maiori- bus ordinibus initiandus erit, eas qualitates habeat, quae a sacro concilio Tridentino circa mores et doctrinam sunt assignatae; quod, quo facilius subsequatur, praepositus loci neminem reverendissimo ordinario ordinandum praesentabit, cui maior pars capitulo conventionalis, calculis adhibitis, non fuerit suffragata. Rectores autem locorum, in quibus degunt orphani et non est numerus ad minus quatuor vocalium conventionalium, neminem ad ordines promoveri facere audebunt, nisi de licentia et consilio praepositi generalis vel visitatoris. Qua in re curabunt omnes, ne tempora inter ordinem et ordinem a concilio Tridentino statuta prae- termittant [f. 8v], nisi urgenti de causa et concurrentibus supra- dictis, quae in ipsis praesentandis requiruntur. Maxime autem vi- tabunt ne ordinationis gratia adolescentes huc atque illuc transmittant, nisi urgentissima de causa ad iudicium praepositi gene- ralis vel visitatoris. Licet autem corda praecipue respiciat Deus, non mediocris tamen ratio habenda est circa corporum deformitates; et ideo cavebunt omnes, ultra a legibus statuta circa irregula- ritates, eum ad ordines admittere, per quem notabiliter sacerdota- le ministerium vituperari queat; et in re dubia recurratur ad praepositorum generalem.

*De fabricis erigendis.*

Experientia docet saepius quadrata rotundis commutari; qua- propter aedificium de novo nullus constituat, nisi de licentia genera- lis vel visitatoris, exemplari ante confecto et saltem a duobus archi- tectis comprobato, ne quod unus aedificat, alter demoliri cogatur.

Quod si reparaciones sive restauraciones aliquae adhibendae erunt, eae nullatenus adhibeantur nisi modo praetacto. Quae omnia intelligantur, quando expensae facienda summa decem aureorum excedunt. Illud autem ab omnibus observetur, ut in omnibus ratio paupertatis habeatur.

Prospectus autem omnes in secularium domos a nostris fabricis tollantur; qua in re diligentiam accuratam adhibebunt tum praepositus generalis, tum visitatores.

*De modo procedendi in correctionibus.*

In correctionibus autem per superiores in subditos faciendis, non tantum verbera, verum etiam iniuriosa verba sunt evitanda, sed neque praeceptum in virtute obedientiae de facilis est adhibendum. Qua in re vitabunt subditi non tantum contentiones alias cum superioribus habere, verum etiam quascumque responsiones duras ad elationem pertinentes, passuri potius aliquid iniuriae, quam scandalum fratribus allaturi. Ad adventum autem praepositi generalis vel visitatorum humiliter poterunt suas querimonias exponere, vel etiam absentibus, si nuntius fidelis habeatur, illas per litteras significare, dummodo omnis strepitus conventionalis evitetur, quem qui excitaverit, eo ipso noverit a suo iure cecidisse. Laboranti autem alicuius fama, superior inquirat etiam via iuramenti et suspiciones iudicentur de consilio prudentiorum capituli loci.

*De dispensatione et exemptione.*

Adagio veteri inherentes, quo fertur omnem regulam exceptionem pati, praesenti constitutione decernimus praepositum [f. 9r] generalem in rebus gravibus, visitatores in rebus mediocribus et praepositos et rectores in inferioribus dispensare posse ad annum, iuxta locorum, personarum et negotiorum opportunitatem.

Hac in re seniorum aegrotantium et plus caeteris laborantium sive circa studia, sive circa aliquam rerum temporalium administrationem praecipua ratio habeatur.

Hortantes omnes subditos et districte monentes, ne quis exemptionem aliquam sive dispensationem absque legitima causa procurret. Superiores vero e contra etiam non poscentibus, sed indigentibus, exemptiones, quas expedire iudicaverint, concedant. Quod si quis dispensatione vel exemptione perpetuo se indigere cognoverit, hanc nonnisi a capitulo generali in scriptis obtinere habeat.

*De cura et regimine orphanorum.*

Consueverunt haeredes, etiam nova palatia aedificantes, paternas domos minime destituere, quapropter cum congregatio nostra fundamenta olim iecerit in cura et regimine orphanorum, ratio non postulat ut illorum obliviscamur, unde omni cura et studio illorum curae destinabunt patres nostri rectores et oeconomos eius quidem conditionis, qui charitatem illam priscam ab antiquis nostris adeo cultam excident, meminerintque orphanorum curam primum inter charitatis et misericordiae opera locum obtinere, esseque opus prae coeteris omnibus Deo acceptum, nihilque demum reperiri quod tam mentes animosque proximorum aedificet.

Curae ergo orphanorum deputatus rector curabit singulis mensibus ut omnes confiteantur sibi vel alteri, maioribus id saepius facientibus ad quindecim dics; nec mensem ullum praetermittat, in quo maiores non convocet ad culpam suam dicendam. Quod eodem interstitio faciet oeconomus cum minoribus; quibus etiam singulis mensibus ad minus caput abluet et pedes, ungues tum pedum tum manuum abscidens, linteamina et feminicruralia mutet eodem interstitio.

Singulos autem curabit rector quotidie missam audire, coronas singulis assignabit; officium autem Virginis recitantibus scientibus legere, caeteri interim coronas persolvent. Omnes bis in die legere docebuntur; scribere autem omnibus diebus festis et

duobus aliis diebus infra hebdomadam. Orationem vocalem more vetusto tum dum surgunt a lecto recitabunt pueri, tum quotidie vesperi, cui praesto sit rector et caeteri quique fratres quoad fieri potest, etiam sacerdotes. Omnique die rector cum oeconomo et caeteris professis, si qui sunt, et omnibus aliis maioribus [f. 9v], qui se communicant, orationi mentali bis saltem vel semel in die incumbant; curet ne quis decimum quartum annum agens a communione ulterius abstineat.

Diligentiam adhibeat ut omnes aliquod exercitium discant, praecipue artem sartoriam, quo inde victum sibi acquirant; nec ullus verberibus afficiatur immodeste et sine debita mensura.

Doceantur omnes spectantia ad vitam christianam, quam vesperi inter coenandum recitabunt loco lectionis, quam mane semper legent.

Hieme curet rector ut pueris vesperi semper ferculum detur; illorum dormitorium continuo purgetur, grabata commode quotidie sternantur. Palea stratorum mutetur et renovetur quoties fuerit opus. Semper ientaculum vel antecoenium pueris conferatur. Lampas in dormitorio semper noctu luceat. Vasa stercoracea semper ibi retineantur; ad latrinas nonnisi singulatim ire permittat. Communiter oeconomus aegrotantes super paleis iacere non permittat.

Saepius interdiu inter laborandum cantabunt pueri hymnos, litanias, vel psalmos. Ad ingressum personarum adventantium salutabunt vetusto more Virginem, dicendo: *Ave;* et adventantibus praelatis vel personis gravibus ecclesiasticis, genuflectent benedictionem petentes.

Curet autem praepositus generalis et visitatores una cum protectoribus illorum agere ut, quo ad eius fieri poterit, non vagentur per villas quaestus gratia, nec adeo in eleemosinis quotidianis quaerendis ita vexentur, ut vel discere omnino litteras vel artes praetermittant.

Tandem current rectores et orphanorum ministri quique illud in primis Christi ante oculos habere: *Quod uni, ait, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis;* et illud: *Haec est vera religio visitare pupillos;* et illud: *Taliū est regnum coelorum.*

Nec praetermittant protectoribus persuadere ad servandos pri-maevos ordines, quibus cavebatur ne quis reciperetur ante septen-nium, vel post quartum decimum; ne quis natalibus obscuris ad-mitteretur, vel qui vere utroque parente non sit orbatus. Nec praeter-mittenda laudabilis illa consuetudo, tum singuli singulos lectu-los occuparent.

*De agregandis.*

Quis in domo patris nostri mansiones multae sunt, ideo non est inconveniens, attenta varietate locorum per nostram congrega-tionem administratorum, varia etiam ministrorum genera congre-gare. Quare si quis laicus occurrit, qui professioni aptus non vi-deatur, aptus tamen iudicetur ad serviendum, maxime in locis orphanorum, fiet contractus [f. 10r] inter nos et eum, quo nos astringamur ad illum alendum in huiusmodi locis et ipse ad nobis-cum perseverandum; acto pacto quod, si utraque pars consense-rit ad dissolutionem contractus, nulla inde in conscientia remaneat obligatio; duabus additis declarationibus: prima quod, si illi demerita notabilia id promeruerint, possit expelli, idque iudicio totius capituli vel dietae; secunda quod si loca orphanorum a nostra secernerentur cura, quod tunc non teneamur eos alere in col-legiis, sed bene eis favere apud hospitalium regentes, ut eos in sui auxilium assument. Talis autem contractus firmetur hinc inde iu-ramento ultra testes.

*De apostatis.*

Cum apostatae expresse faciant contra votum obedientiae et paupertatis et maximo periculo exponantur de castitatis voto in-fringendo, idcirco, ut peiores omnibus, acrius in eos animadver-tendum praesenti constitutione decernimus, nec volumus apostas-tas reintegrari posse nisi per capitulum generale. Declaramus au-

tem apostatam eo ipso amittere vocem et locum, carcerisque poemam incurrire; et redire volentes, dirigantur ad praepositum vel vicarium generalem, vel in eorum defectum ad visitatores, vel praedictos statim moneat receptis apostatis.

*De excessibus superiorum.*

Quia tamen aliquando apostasiae occasionem dant superiores partiales, ideo presenti constitutione decernimus ut, si quis superior generalis vel particularis fuerit inventus partialis in re notabili, ut in eum severe animadvertisatur et, si opus fuerit, ad depositionem veniatur, nec ullo modo dissimuletur partialitas. Secus tamen iudicandum erit, ubi suberit gratia complexionis, laborum et huiusmodi, quia tunc discretio, non partialitas nominanda venit.

*De mutatione personarum.*

Licet perutile sit ut religiosi mutentur de loco ad locum, ne alicuius affectus alicubi figatur ac perinde scandalum generetur, tamen cum id et vagationes et expensas multiplicet et pluribus collegiis id fuisse nocivum satis constet, caveant superiores et in comitiis et extra sine urgenti necessitate quempiam mutare, puniendi si contrafecerint.

## CONSTITUTIONES SPECIFICAES ET PARTICULARES

*Personas in specie concernentes et poenae eis correspondentes.*

[f. 10v] Qui sub regula constituti eam profitentur, adhuc constitutionibus incumbunt, cum non possint omnia praexceptis regulae complecti, quae ad vitae regularis pertinent institutum. Id multo magis nobis praestandum venit, qui regulam aliquam non profitemur, licet sub illa divi Augustini e felicis recordationis Pio V reponamus et tria vota loco nostrae regulae profiteamur.

Praeter transgressionem ergo trium votorum essentialium, in primis volumus et declaramus nullas nostras constitutiones praesentes vel futuras ad culpam obligare, sed tantum ad poenam a praelato infligendam, nisi interveniat contemptus, aut excommunicatio, aut praeceptum, aut legis ecclesiasticae vel cuiuscumque alius violatio de sua natura ad mortale obligantis. Declaramus insuper poenam ipsam, in quam ex transgressione praedictorum incurritur, numquam incurri ante sententiam vel declarationem praelati, in particulari respectu eius qui tali plectendus est poena, quamvis in constitutionibus vel aliis capituli ordinationibus diceretur poenam aliquam ipso facto incurrendam, excepta tamen poena excommunicationis latae sententiae.

Quae vero de reformatione et regularibus a concilio Tridentino sancita sunt, exacte volumus observari, neque in his nostris constitutionibus intendimus aliquid contra concilia vel sacros canones aut constitutiones apostolicas. Quod si quid huiusmodi obrepserit, nullius sit roboris vel momenti.

Quia ero impossibile est universa legibus comprehendi, volumus et declaramus quod, si quid occurrerit tam in negotiis agendis, quam in delictis puniendis, quod in his nostris constitutionibus [f. 11r] non sit definitum et declaratum, tunc omnia agantur secundum rectam conscientiam et communes regulas recti et aequi ex consilio duorum vel trium de prudentioribus et senioribus.

Ut autem ad omnium cognitionem perveniant nostrae constitutiones, curet quilibet praepositus sive rector, ut qualibet feria sexta cuiusque hebdomadae ad mensam legantur, vel omni die unum capitulum earum. Quod etiam intelligitur de actis capituli et dietae praecedentis.

Cum autem multitudo legum saepius offendat quam proposit, declaramus nullas ordinationes in capitulois vel dietis factas seu faciendas habere vim constitutionis, nisi per tria capitula generalia comprobentur. Ideo semel statuta erunt in sequentibus comitiis relegenda, secus si plenis comitiis aliter fuerit determinatum; poterunt tamen interim executioni mandari. Nec volumus acta unius capituli vim habere, nisi usque ad futurum capitulum, cum quo spirabunt; sicut et ad cautelam declaramus mandata etiam sub excommunicatione latae sententiae, a praeposito generali vel locali lata, cum ferente spirare.

Et quia in nostra congregazione varietas domorum non mediocris reperitur, cum hic novitii, alibi studentes, alibi tantum professi, alibi tandem et orphani reperiantur, curet praepositus generalis in capitulois et dietis diversas addere ordinationes, quas singulis in locis observari opus sit, ita ut in loco novitiorum attendatur in primis educatio spiritualis, circa studentes autem de litterarum profectu tractetur, in collegiis autem communibus de profectu vitae regularis agatur et in orphanotrophiis educatio interna et externa intendatur circa pueros.

Nullius tamen generis domum vel locum quisque accipiat, nisi de licentia capituli generalis vel dietae; et in omnibus locis et orphanotrophiis clausura servetur quo ad mulieres; neque ullo in loco fabrica incohetur, vel perficiatur, vel mutetur absque licentia praepositi generalis, seclusis orphanotrophiis aliter protectoribus determinare volentibus. Sed neque alienet quis possessiones vel annuos census sine debita facultate. Habeatque quisque praepositus vel rector libellum, in quo omnia ad locum suum spectantia conscripta sint, cum obligationibus missarum et anniversariorum et huiusmodi, quas executioni mandare curabit. Sciatque sibi prohibitum praesenti constitutione causam vel quaestionem ma-

gni momenti et ponderis incipere contra principes, vel [f. 11v] praelatos, vel quoscumque alios sine licentia praepositi generalis vel visitatoris, excepto casu repentino qui non patiatur dilatationem.

*De horis canonicas.*

In omnibus nostris plenis collegiis dicatur totum divinum officium quotidie in choro. Matutinum cum prima circa auroram compleatur. Tertia, sexta et nona circa horam missae solemnis, quae omnibus diebus festis cantabitur, nisi aliter fuerit in comitiis definitum aliqua ex causa; et tunc horae dicantur ad praescriptum missalis. Vesperis autem iungatur completorium, nisi lectio vel concio interponenda esset.

Nemo sine venia aberit a choro vel ab eo recedet, et omnes adesse curabunt dum datur ultimum campanulae signum.

Laici autem loco divini officii vel illud parvum divae Mariae recitatunt, vel tot *Pater* et *Ave*: pro matutino 25, pro vespereis 10 et pro aliis singulis horis 5.

Dum autem in choro recitatuntur horae diurnae vel nocturnae, ostia chori clausa retineantur, ne cuiquam pateat aditus.

*De missarum celebratione.*

Missae vel praesto erunt omnes quotidie, vel celebrabunt ad praescriptum missalis. In missis novis non fiant oblationes. In votivis nemo defraudetur, vel anniversariis; et fiat unum anniversarium quotannis, prima die post commemorationem omnium defunctorum non legitime impedita.

Missam quisque celebrabit ea hora et loco, quae ab eo qui huic muneri praeerit, praescribetur. Nemo autem extra propriam ecclesiam, praecipue in ecclesiis monialium, celebrabit sine urgenti ratione ad praepositi arbitrium, idque non nisi raro; itine-

rantes tamen exclusos declaramus, dum sunt in via.

Qui vero aliqua die a celebratione cessabit ex causa, is certiorem reddet sacristam tempore debito et missae interesse memor erit.

Chorum non egredientur fratres nostri ad absolutionem, nisi praesente cadavere atque in die defunctorum.

In obitu autem cuiuscumque ex fratribus, qui illico omni festinatione praeposito generali vel visitatori denunciabitur, et is omnibus sibi subditis, cantetur missa dicanturque nocturni tres cum laudibus si fuerit sacerdos defunctus, unus autem si clericus vel laicus pro quibus et dicentur tres nocturni in loco ubi decesserint; et sacerdotes omnes tres missas applicabunt, caeteri vel officium mortuorum vel coronam pro anima defuncti recitabunt.

[f. 12r] Laici audiant quotidie missam et missae solemni intersint diebus festis, nisi sint legitime impediti.

*De ecclesiis et earum cultu.*

Licet omnis gloria filiae regis ab intus sit, ut divinus psaltes testatur, nihilominus quia et ceremoniae externae ad devotionis augmentum adhibentur, praepositi munus et cuiuscumque alterius rectoris postulare videtur ita ecclesiam sibi commissam ornatam retinere, ut eius nitore omnibus ingredientibus devotio augeatur, ita ut in pavimento purgando, parietibus ab aranearum tellis defendendis, candelabris et lampadibus perfricandis, tobaleis et reliquis tum altarium tum sacerdotum celebrantium sacris vestibulis mundandis, missalibus, patenis, corporalibus, purificatoriis, urceolis a quamvis sordicula praeservandis, missalibus et earum quae secreto dicuntur tabellis a fractione et quacumque immunditia custodiendis, nihil penitus desiderari possit.

Ante omnia vero in custodia pixidis pro sanctissimo Eucaristiae sacramento asservando (quod et octava quaque die saltem renovari debebit) omnis cura et diligentia adhibeat; qua in re et in supellectili competenti cuique tum altari, tum ecclesiae provi-

denda, omnem diligentiam adhibebit in primis praepositus generalis, deinde et quilibet visitationis muneri deputatus, ne nos qui hac in re caeteris exempla praestare debemus, negligentiores comprehendamur.

Quod quo facilius fiat, in quolibet collegio sacrista diligens instituendis erit omnino.

*De oratione mentis.*

Cum autem mentis oratio multum habeat energiae ad consequendum spiritualem profectum sitque suavis animae ratiocinatio ad Deum, patres nostri, memores illius apostolicae sententiae *Sine intermissione orate*, huic omni alacritate incumbant, eique quotidie per unius horae spatium circiter vacent; per semihoram quidem post primam; vesperi vero hieme ante coenam, aestate vero a coena tantundem in ea temporis insumatur. Et ut facilius mentes in Deum ergantur, plurimum conduced arbitrio praepositi vel rectoris semper aliquam lectionem ad hoc institutum spectantem praemitti. Meminerint insuper quotidie ituri cubitum fratres nostri examen conscientiae perficere.

*De confessione.*

Quia nemo adeo iustus est, qui ex Ioannis sententia non valeat iustificari adhuc, unicuique et singulare remedium post [f. 12v] baptismum, quo possit iustificatio acquiri, sit sacramentum poenitentiae et confessionis, ideo fratres nostri, sacerdotes in primis, diligenti examine maturaque consideratione praemissis, ut conscientiam ab omni peccatorum labe purgatam conservare valeant, saepe saepius ad huiusmodi sacramentum accedere studebunt. Idque ab his praestandum erit coram reverendo praeposito vel aliis ad hoc proprie substitutis; caeteri vero clerici vel laici id ipsum semel saltem in hebdomada, nec non et in singulis diebus festis de

praecepto, si quae intra hebdomadam contigerint, omnino praestabunt. Nemo autem alteri quam praedictis peccata sua confiteri audeat sine praepositi licentia, multo autem minus confessario alterius instituti; quod si quempiam ex nostris curae orphanorum ascriptum solum aliquo in loco degere contingit, is non ad libitum, sed ad admodum reverendi generalis vel visitatoris iudicium eliget confessarium.

*De comunione.*

Dicente Domino *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ad hanc vitam, sine qua non vivitur, tota mentis intentione, animi affectu, cordisque munditia ac puritate accedendum est; quod facilius fiet, si huius sanctissimi tum sacramenti, tum sacrificii fructus uberiores intimo corde praemeditati fuerimus.

Quapropter clerici et laici nostri, praeterquam quod quotidie missae sacrificio astantes spirituali affectu ex concilli Tridentini instituto communicare debebunt, etiam ad minus semel in hebdomada et singulis diebus festis, prout de confessione dictum est, ad sacramentalem communionem nullatenus accedere praetermittent, nisi aliter ad proprii confessarii iudicium expedire visum fuerit, sine cuius licentia numquam communicare et ad humilitatem et ad meritum augendum non parum conducet. Confessariorum tamen intererit in re tanti ponderis sana et matura consideratione sese gerere, ut non nisi quos iuxta Paulum probatos repererint, accedere permittant.

Qui autem sacris iniciati fuerint, ut gradum altiorem obtinent, ita frequentius accedere rectae rationi consentaneum est; ad quod nihilominus ut securius accedant, praepositi sive confessarii prudentiae decernendum relinquunt, ne ad sacrum pignus sumendum accedentes pro spirituali et aeternae vitae cibo, iudicium sibi manducent et bibant.

Praeterea die iovis sancti, quo hoc sacramentum novimus in-

stitutum, nemo a sacra [f. 13r] communione abstineat, etiam qui eo die non celebraverint.

*De confessariis et parochis.*

Cum ars artium sit regimen animarum, illud praecipue admodum reverendus generalis, caeteri patres vocales, praepositique in primis animadventent, ne quis ad audiendas confessiones, multo minus ad curam animarum exercendam admittatur, qui vita et moribus et doctrina ita post missam novam celebratam ad minus per triennium non sit probatus, ut confessariis saecularibus, parochisque huiusmodi in praedictis omnibus facile antecedat. Et quod quidem ad confessarios spectat, sicut illorum munera est curare ne fideles ad se accedentes continue vagentur circa varios confessarios, ne inde maiorem peccandi occasionem nanciscantur, ita praecipue sibi omnino cavendum erit, ne poenitentes sibi promissionibus, multominus iuramentis astringant, ne ob id simplicitati confessionis atque integritati aliquod praeiudicium generetur. Eamdem autem absolutionis formam servabunt omnes confessarii nostri, vel iuxta cuiusque civitatis institutum, vel aliud per patres nostros in comitiis generalibus edendum.

Quod vero ad curatorem animarum spectat, illud semper observandum erit, ut huic muneri praeficiatur nemo, nisi quem in comitiis per vota secreta patres admiserint, vel capitulum conventuale elegerit eadem forma. Quod si quempiam vel diem suum extreum agere, vel longa et diurna aliqua aegritudine detineri contigerit, poterit praepositus generalis eius loco aliquem substituere in vicarium, vel praepositus de consensu capituli conventualis poterit aliquem subrogare et substituere.

Meminerint tamen omnes tam confessarii quam parochi electi, absque praevio ordinarii examine, huiusmodi sua munera obire non posse.

Huc facere vero ut quid circa sepelienda mortuorum corpora observandum sit, decernatur; idque erit ut nec parochus, nec fra-

tres nostri unquam mortuorum corpora, nisi alicui ex parochianis diem suum obire contigerit, comitentur, sive ad propriam sive ad alienam ecclesiam sit deferendum cadaver, ad arbitrium praepositi. Quod si aliquis, qui non fuerit de parochia, in nostris ecclesiis sepeliri voluerit, tum fratres nostri, ad ianuam ecclesiae cadavere expectato, illud quo decet honore suscipient.

Insuper quod ad confessarios attinet, diligentiam adhibebit quisque praepositus, ut confessarii sui collegii saepius casus conscientiae discutiendos proponant et ab aliquo ter in hebdomada, sive alternis diebus, [f. 13v] aliqua lectio eorundem casuum conscientiae praelegatur. Ne autem in re tam ardua caecum (quod absit) ducere caecum contingat, praesenti ordinatione praecipimus omnibus praepositis et rectoribus ut confessariis sibi subditis eos provideant libros, quibus tanto muneri satisfieri possit. Qua in re admodum reverendo praeposito generali et visitatoribus plurimum vigilandum erit.

Nemo autem confessarii munus obeat, qui vel a praeposito generali vel a visitatore licentiam in scriptis non obtinuerit praevio examine; quae ut omnis dubitandi tollatur occasio, quantum se extendat facultas sive ad secularium tantum, sive ad nostrae solidius congregationis fratrum audiendas confessiones, sive omium, apertius continere debet. Liceat nihilominus praepositis, habita a praeposito generali licentia, quoscumque in genere praesentandi eos sacerdotes sui collegii ordinario examinandos offerre, quos pro ecclesiae suaे indigentis tanto muneri noverint per examen a se et duobus aliis peragendum idoneos.

Quandocumque autem contingerit ex confessariis aliquem vel parochum ad mulierum aegrotantium confessiones audiendas accedere, socius qui eos comitabitur, confessario confessionem audiente, eo loco sit, ut cellae ianua patente eum intueri et ab eo conspicere queat.

Et quia aliquando assignantur confessarii monasteriis monachum, curet praepositus generalis et visitatores omnem diligentiam adhibere circa ipsos, ne nimium temporis inibi insumant. In ecclesia autem nemo audiat confessiones mulierum nisi ad cratem confessionalium.

Et ad evitanda quaecumque circa curam monialium possent evenire damna, praesenti constitutione mandamus, ne dicti confessarii se ingerant quovis praetextu vel quavis occasione, etiam requisiti, in negotiis ullis monialium sive in communi sive in particulari. Ad monasteria adeant audiendarum solum confessionum gratia, nec eis liceat monialem ullam alloqui extra confessionale, praeter superiores monasterii pro aliquo consilio. Quod si casus adeo urgens incideret, quo confessarius aliquid extra confessiones agere deberet, nolumus ut provinciam suscipiat sine praepositi, apud quem degit, licentia, declarantes ad cautelam nullum praepositum concedi unquam debere ad id muneric peragendum, cum sit incompatibile cum regimine domus. Curabunt autem patres nostri, ut huiusmodi confessarios non passim concedant, ne dum monasteria monialium iuvare intenderint propria destruant.

*De concionatoribus et lectoribus.*

[f. 14r] Conciones lectionesve sacras publice habebit nemo, qui a praeposito generali facultatem in scriptis praevio examine non habuerit. Erunt autem partes praepositi generalis ad id muneric neminem admittere, qui vel studia methodice non impleverit, vel saltem per triennium theologiae misticae operam non dederit.

Illud autem in primis praestandum erit ut iuniores, etiam studiis non absolutis, domi exerceantur in ea, quam publice professuri sunt facultate, praeterquam non quod, ut proverbio fertur, nemo repente fit summus. Illud etiam experientia compertum est viros alioquin doctissimos, at minus exercitatos, ubi concionem ascenderint, vix eloqui scire.

Quod si concionatoris munus proprium est episcoporum, ut concilio Tridentino habetur, illi praecipue ad id muneric eligentur, qui et fide firmati et moribus ornati comprobantur, ne dum aliorum vitia sua nituntur praedicatione coercere, nullam suorum rationem ducentes intra reproborum numerum mereantur adscribi.

Nec illud praetermittendum est in omnibus collegiis nostris, ubi methodica studia non viguerint, at potius omni cura praestandum, ut saltem aliqua sacra lectio, cui omnes intersint, habeatur ad sacri concilii Tridentini institutum, sessione V cap. 1 de reformatione. Qui omnes, sicut et caeteri quique quamcumque facultatem inter docendum profitentes, meminerint se, iuxta constitutionem sanctissimi Pii IV, professioni fidei in manibus ordinariorum emittendae esse astrictos.

Cavebunt autem concionatores nostri, si extra proprias ecclesias id muneric exercere aliquando contigerit, ne pactionem aliquam ineant, sed illud simpliciter observent: *Gratis accepistis, gratis date*; ne tamen piorum animi offendantur, neve aliis praeiudicium aliquod generetur, eleemosinas sponte oblatas possint recipere.

*De ratione studendi et qui admittendi sint.*

Ut legibus et armis imperatoriam maiestatem decet esse muniram, ita religionem quamcumque moribus et doctrina ornatam esse consentaneum est. Quamobrem non parum diligentiae praepositus generalis circa studia ipsa impendet, tum in iunioribus eius ingenii et acuminis eligendis, qui facile praeseferant ipsarum scientiarum culmen fore consensuros, ante omnia autem eius probitatis et indolis, ut illis non ad tumorem et animi elationem [f. 14v], sed ad virtutem scientia profutura dignoscatur.

Qua in re illud praeter caeteris animadversione dignum est, ut methodo et huiusmodi ordine utantur omnes, quo facile ad finem optatum pervenire valeant. Huic rei incumbat in primis admodum reverendus praepositus generalis, deinde visitatores omnes et praepositi ipsi; experientia siquidem compertum est tum in omnibus, tum praecipue circa studia, ordinem ipsum pernecessarium esse. Nec permittendum erit, ut ad altiora ascendant qui in inferioribus non profecerint, ne cum ducem habere crediderimus, vix militem habeamus.

Ut autem commodius haec fiant, visitationis tempore erit de omnibus, qui studiis incumbunt, periculum faciendum, eorumque accurate profectus inspiciendus vel a visitatoribus, vel coram ipsis ab eorum magistris, ut negligentes coercentur vel abiificantur, similiter et inepti. Et ut de iis evidenter periculum sumatur, aliquos ex ipsis praepositus generalis vocabit ad comitia, ut in conclusiobibus defendendis vel in concionibus habendis, prout magis videbitur expedire, quantum profecerint facile comprobetur.

Illud autem omnino erit observandum, ne quis sine comite ad studia publica, si extra claustra exire contigerit, accedat, neque alio divertat studiorum fuco absque praepositi licentia, qui necessaria omnia studentibus, ut alacrius et ex animo literis incumbant, diligenter ministrabit. Exemptiones autem, si quae scholaribus concedendae erunt, eae per praepositorum generalem et per patres declarabuntur in comitiis.

*De cantu et eius usu.*

Quae in ecclesiis nostris missae, officiave divina et quaecumque alia canenda erunt, ea ex consuetudine quem firmum vocant cantu concinentur; qua in re praeter vocum singularum ad invicem consonantiam, quae maxime omnium requiritur, illud etiam enixius praestandum erit, ne mens ita cantus armoniae intenta sit, ut magis sonum quam verba ipsa illorumve sensum animadvertiscat.

Modus etiam canendi, quoad fieri potest, ubique locorum uniformis sit; insuper et ordo gravis, non animi levitatem ostendens esse debebit, ut sicut presbiteros seculares professione prae-cellimus, ita in iis, quae ad Dei cultum pertinent, superiores dgnoscamus.

In unoquoque ex collegiis nostris semper unus constituendus erit, qui cantus scientia pollens cantorisque nomine insignitus, eos qui illius ignari sunt, eius sit muneris per horam singulo quoque die instruere; cuius etiam partes erunt disponere [f. 15r], praemeditari et praeparare ea quae publice in choro canenda

sunt, cui, quantum ad hoc attinet, caeteris se conformare consenteum est.

In quibusdam autem solemnibus festis, propriae ecclesiae praesertim titularis sive patroni, vel cum aliqua missa nova celebranda foret, vel esset dies qua illi ecclesiae aliqua fuisse indulgentia concessa, permittitur usus illius cantus, qui figuratus solet nuncupari; quem domi et in claustris exercere tum exercitationis, tum recreationi causa licebit, omnino tamen de medio sublatis canticibus iis, quae lascivum aliquid aut impurum continent.

*De habitu tum clericorum tum laicorum.*

Licet habitus monachum non constituat, plurimum tamen et gestantem continet in virtute, et circumspicientes ad illam excitat. Huiusmodi igitur habitu utentur omnes fratres nostri, qui et sibi veluti fraenum iniiciat, et caeteris sit exemplum virtutis sectandae.

Quamobrem noverint, quae subiiciuntur, sibi poenitus observanda. In primis, tam exterius quam interius, ne quid sericum vel subsericum deferatur, prohibemus. Interulae absque ornamentis ad collum et ad manus omnino sint; collare vero illarum eius sit altitudinis, ut super vestem everti possit ad digitum, ut aiunt, vel duos ad summum. Ad manus autem super vestem everti, sicut orbiculos quosque in eisdem, tum ad collum tum ad manus omnino interdicimus. Reliquae omnes intrinsecæ vestes ab omni seculari vanitate longe absint. Torax eius formæ sit, ut non secularium more ornatus gratia in anteriori parte bombice repleatur, velutique tumorem ventris effingat; femoralia quantum sat est amplitudinis habeant, nec eius sint generis, quae vulgo bracæ nuncupantur; caligæ acubus confectæ extrinsecus non permittuntur, similiter et coriaceæ quaeque, nigris exceptis, aegritudinis intuitu de licentia præpositi generalis, nec albi seu alterius coloris, nigro excepto, esse possint; calcei, qui ligula astringantur, absque tamen auriculis gestabuntur.

In reliquis, quo ad clericos, habitus noster erit tunica talaris et a parte anteriori consuta et pallium eiusdem fere longitudinis, ita tamen ut tribus aut quatuor digitis a tunica decrescat, et pileus quadratus pro tegumento capitisi.

Laici tunica et pallio ad dimidium cruris utentur, ea ratione ut longitudine tunica pallium aliquantulum excedat, et galero loco pilei quadrati sive bireti, procul tamen a Neapolitana amplitudine; statuentes et [f. 15v] declarantes neminem in laicali habitu professum ad sacros ordines promoveri posse absque totius capituli generalis consensu, quod ne patres nostri unquam praestent nisi rationabili atque urgenti de causa oramus.

Vestes pelliceas extrinsecus permittat praepositus generalis iis tatummodo aut qui nimia senectute gravantur, aut gravi aliqua tenentur infirmitate; intrinsecus vero si quis eas deferet, eae genua non excedat. Hybernas insuper vestes, ad praepositi iudicium, nigri coloris et eius formae gestabunt omnes, in quibus hoc evitandum erit ne manicae ad medium dividantur, vel virgae eis circumcirca consuantur. Collaria palliorum ad ternos digitos altitudinis ad minus ascendant, non tamen excedant. Cingula serica nec non et galeri oblongae sive acutae formae omnibus interdicuntur. Funiculi insuper galerorum eius sint conditionis, ut non vanitatem, sed religiosam modestiam et mortificationem praeseverant. Pallia sive penulae, quibus pro pluviis arcendis in itinere opus est, quo ad fieri potest, nigri sint coloris; quod si alba gestare aliquando fuerit necesse, cerulea tamen omnino prohibemus, sicut et quemcumque ornatum tam villoso quam ex orbiculis in eis vitandum statuimus. Vestibus orbiculos ullos nec ad collum neque ad manus apponere liceat, secus autem de vestibus intrinsecis; a sudariolis flosculi et quilibet ornatus alias amovendus erit.

In omnibus denique vitetur tum praeciositas quae nulli nulla de causa permittatur, tum vanitas, ita ut nec splendor in vestibus et palliis appareat, nec ulla affectata forma vel ornatus. Lecti vero nulli sint conopaeo ornati, nec parietes vestiti, quod in primis, ut aliorum exemplar, praepositus generalis visitatoresque quique observare curabunt.

Cavendum autem omnibus ne sine superius praescripto habitu aut chorum ingrediantur, aut in claustris vel quocumque alio in loco secularibus se visendos exhibeant.

Laici autem omnem obedientiam impositam circa labores externos culinae etc. non respuant.

*De obedientia.*

Qui Deo ex animo servire cupiunt, omni debent prorsus propria voluntate carere per omnimodam suimet abnegationem, quia per obedientiam verum cordis fit sacrificium Deo in odorem suavitatis, sicut per inobedientiam, ut inquit Basilius, incurritur spirituale sacrilegium. Si enim vel astra ipsa inferiora diriguntur a superioribus, multo magis consentaneum erit ut, qui voto obedientiae se obstrinxerunt, aliis qui sibi praesunt, sui [f. 16r] curam relinquent.

Noverint omnes fratres nostri voto obedientiae ita esse astricatos, ut neque locum, neque munus respuere vel requirere recta conscientia possint; quapropter quidquid praepositus generalis, vel particularis quique superior praeceperit, vel quidquid a plenis comitiis emanaverit, sive de orphanorum regimine in eorumdem locis habitatione, sive de cura animarum, sive de pueris in seminariis educandis, sive de quocumque munere nemo recusare audeat, at omni animi promptitudine amplectatur, ut enim in libro de pracepto et dispensatione Bernardus inquit: perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, nec contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, et ad omne quod iniungitur spontanea, vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.

Huic autem obdientiae sibi fore incumbendum praecipue meminerint ii qui vel aetate perfectiores, vel perspicaciores ingenio, vel scientia praestantiores fuerint, ut illorum exemplo caeteri non obedire vel erubescant, cum a bove maiore discat arare minor; atque ii etiam maiori studio et diligentia eis obedient, a quibus cum praeescent, obedire sibi contendebant.

Ad obedientiam spectat ire cum coeteris ad communes actiones chori, triclinii, capituli.

*De paupertate.*

Vitae eminentioris institutum profitentes graduque altiori evangelicam doctrinam imitari cupientes, fratres nostri non immemores domini nostri Iesu Christi eiusque discipulorum in communi viventium, hunc sibi in commune vivendi modum penitus observandum proponere debent, illud quam saepissime in animo revolventes, quod Actuum V, Ananiae et Saphirae contigisse fertur, dum in communem vivendi rationem mentientes proprietatis vitio sese fedare cooperunt.

Cuis quidem rei eventu cautiores effecti, quicquam sibi aut pecuniam, aut vestes, aut libros, aut aliquid huiusmodi velut proprium retinere omnino cavendum praesentique norint ordinatione prohibitum. Quod si vestes, librosve, aut eius generis aliquid superiores aliquibus concederint, ea ita ad usum retinenda arbitrentur, ut ad omnem superiorum nutum eadem eo ipso in communione conferre omni semota discrepancia teneantur.

Illud etiam scientes nihil a quibuscumque etiam eiusdem congregationis fratribus accipere, sive iisdem largiri absque superiorum suorum facultate [f. 16v] posse, quibus omnino indicitur nullo unquam tempore posse cuiquam usum pecuniae concedere. Hic tamen secluduntur qui regimen aliquod vel administrationem obtinent, qui statuto tempore plenam et omnimodam de omnibus et singulis, vel praeposito generali vel visitatoribus, rationem reddere teneantur.

Caveant autem omnes et singuli fratres nostri, ne quid omnino retineant, quocumque sit illud, quod a superioribus cognitum non sit concessumque. Qui quidem superiores nullatenus permittent praeciositates seu vanitates potius quantumlibet ad usum, ut de libris etiam quibus horae canonicae recitantur inauratis, de cera a summo pontifice benedicta auro vel argento contecta, de nomine in libris imprimendo, vel in gladiolis insculpendo.

Quae quo plenius et facilius obseruentur, superiorum conscientias onerantes, monemus ut in rerum distributione ea ratio habeatur, ut sicut nihil supervacaneum et superfluum est relinquentum, ita etiam nihil necessarium, pro collegii et loci facultatibus vel opportunitatibus, quoad fieri potest desit; omnis namque occasio praecidenda venit, ne fratres nostri aliquid ad victum, vel ad vestitum, vel ad valetudinis curam, vel ad aliud huiusmodi vitae usum desiderantes, dum sibi minus fuerit provisum, aliunde quaerent quod ex communi supellectili proficisci debebat. Quare videant quibus rerum procuratio et dispensatio commissa est ut, subditis etiam non flagitantibus, prudenter religiosaque in primis charitate subveniant ac subministrent.

Nemo praeposito generali vel visitatoribus quicquam abscondat, quamvis habeat administrationem; nec ullus superiori volenti ingredi thalamum vel capsam aperire cuiuscumque conqueri audeat.

Similiter nec ullus sine licentia a saecularibus curet sibi aliquid emi vel donari, sed nec a quocumque alio; nec ullus accipiat retenturus apud se pecuniam vel aliud depositi gratia, vel eleemosinae, vel restitutionis faciendae gratia sine sui superioris licentia.

### *De castitate.*

Castitatis, tamquam spiritualis profectus praincipi decoris, vehementissimi zelatores sint fratres nostri, memores illius numquam oblivioni tradendae beati Gregorii sententiae, dicentis: Non est bonum sine castitate. Quamobrem hanc sibi, omni qua fieri potest diligentia vigilante custodia, conservandam proponant, ut occasiones, quae ad hanc inducere possint labefactandam, vigilanti animo evitare contendant.

Mulierum etiam [f. 17r] familiaritates, veluti quo castitatis integritas, suggestente humani generis hoste naturaeque depravatae impellente proclivitate, deperditur, peculiarem illecebrem fomitemque fugiant, ut non modo ab eo quod malum est, sed etiam

quod in se speciem videtur retinere mali se alienos reseruent, ne moque sibi fidere audeat, cum vel Sanson fortis, David sanctus et Salomon sapiens decepti fuerint.

Licet autem peccata omnia in religiosis damnent seculares, nullum tamen adeo eis execrabile videtur quam illud quod castitati adversatur, cuius adeo Christus amator extitit, ut in apostolorum collegio Iudam permiserit proditorem, Petrum perjurum, Thomam infidelem et omnes in passione timidos, nullum vero lascivum.

Praepositus generalis et visitatores curabunt, ut non solum delinquentes (quos nullos unquam fore divina favente gratia quam maxime optamus) acerrime corrigant, verum etiam ut quaeque vel minima scandala vitentur, quoscumque in hoc genere suspectos, prius consideratione adhibita, amoveant alioque mittant.

*De ieiunio, qualitate ciborum et disciplina.*

Praeter ieiunia ab Ecclesia indicta ieiunetur etiam per totum adventum, qui more Romano incipiendus erit. Ieiunetur etiam qualibet feria sexta (quo die simul omnes in eodem constituti loco loris se caedent, praeposito vel rectore semper aliquid praemittente ad devotionem excitandam, dicendo interim: *Apprehendite, Miserere, Pater, Ave Maria, Credo, Salve, Christus factus est etc., Respice*) per totum annum, etiam si aliquod ieiunium modo non contiguum infra hebdomadam contigerit, praeterquam a Paschate resurrectionis usque ad Penthecostem. Ieiunium autem quadragesimale incipiatur feria secunda post quinquagesimam; omnique tempore cibi sint frugales et non lauti. Curabit vero omni diligentia praepositus vel rector ut aequi distribuantur, ne alius esuriat, alias autem ebrius sit.

Non tamen praesenti constitutione prohibere intendimus, ne ulla constitutionis cuiusque vel laboris ratio habeatur, imno ad oppositum cohortamur, cum id ratio dictet, charitas expositulet. Nemo tamen pietantiam aliquam praeter communem sumere audeat absque praepositi vel rectoris licentia. Nec qui secundae mensae intersunt, aliis alimentis utantur quam in prima caeteri vescuntur, sed nec ex-

tra communem mensam quispiam comedat vel bibat sine superioris licentia. Nec qui primae interfuerunt, secundae mensae assistant, nisi serviendi gratia. Nec ullus praesumat comedere vel bibere cum [f. 17v] secularibus in nostris claustris, nisi de expressa licentia. Nullibi autem fratres nostri mensa circulari utantur, sed oblonga, ita ut omnes una ex parte accumbant. Eam insuper modestiam sibi adhibendam neverint, ut nullus alium vel ad bibendum alliciat, vel alter alteri portionem porrigat absque superioris consensu.

Desribantur autem eleemosinae comedibilium, quae in dies afferuntur, et legantur in fine lectionis ad mensam singula quaque sexta feria.

*De culpa dicenda.*

Ut quaque sexta feria vel saltem quindeno quoque die, congregato capitulo conventuali, singuli coram reverendo praeposito vel rectore culpas proprias externas humiliter fateantur praecipimus; ibique tam accusans quam accusatus praepositum vel rectorem non se mutuo, ad quasque contentiones evitandas, alloquantur, ubi superiori respondere, praeterquam de eius licentia et tunc humiliter quidem et summisse, omnino prohibemus. Insuper, quae inibi dicuntur, extra capitulum recenseri interdicimus, ne minuantur charitas, ne rixae oriantur, quemque autem alium coram superiore fraterne corrigere monemus.

Ubi autem culpas absolverint, tunc praepositus sive rector, si contractum quempiam emptionis vel venditionis, vel magni momenti aliquid aliud facturus sit, re coram fratribus proposita, calculisque et suffragiis exposita, illud efficiet quod maiorem partem suffragiorum velle compererit. Suffragia autem illi tantum ferent, qui sacris iniciati fuerint ordinibus iuxta concilii Tridentini decreto, sess. XXII, cap. IIII de reformatione.

Cum autem professos dicere culpas contigerit, non professi abesse debebunt. Si autem contingat praepositum aegrotare, culpae dicentur coram vicepraeposito, quod et fiet praeposito absen-

te. Sed et hospites dicant culpam suam, si vocentur. Accusans autem et deficiens in probatione punitur poena talionis, secus si moneat tantum.

*De silentio servando.*

Quia si quis putat se religiosum esse refrenans linguam, huius vana est religio, ut beatus ait Iacobus, ideo in collegiis coeterisque aliis nostrae congregationi subiectis locis vesperi, dato signo eundi cubitum, fratres nostri silentium observabunt, quo tempore nullus alterius cubiculum ingrediatur. Praepositus tamen tunc debet caute circumire, ne quis ordinem infringat.

[f. 18r] Quod etiam observandum erit, dum tempore aestivo a prandio per horam vel circiter cuilibet quiescere licet; silentioque omni tempore incumbendum erit in choro et ad mensam, quae semper sacra aliqua lectione condietur. Quibus in locis noverint non tantum a verbis, verum etiam a signis et nutibus quibuscumque ad risum vel dissolutionem commoventibus, sibi abstinentium fore. In choro insuper, completis horis, et in triclinio, absoluta refectione, collocutionis cuiusque gratia fratres remanere vitabunt.

Quod si silentium observandum, multo magis murmur caverendum. Habentes enim alimenta, eis contenti simus. Et quando de silentio est sermo, current omnes ut alter alteri cum reverentia et sine contentione loquatur.

Nec in ecclesia vel in domibus saecularium quis mulierem alloquentur, quin a socio videatur. Cuius rei gratia curet superior caute socium assignare, quem nullus respuere audeat.

*De aegrotantium cura.*

Fratres nostri illius sacerdotis et levitae qui, viso eo qui in latrones inciderat, praeterierunt, desidiam vitantes, erga infirmos sedulo charitatis officio samaritani diligentiam exhibere curabunt.

Medicorum praceptoris inhaerentes nihil praetermittant, quod ad aegrotantium salutem conducere videatur. Nec, cum pauperes simus, aegrotantium vel levibus et minoribus, ne dum maioribus necessitatibus providere posse diffidant; hoc enim unico et singulari casu et ab amicis petere et vicinis infestos esse non verebuntur, quando domus propriae non suppetunt facultates; quo quidem casu sanos bonaque in valetudine constitutos aliquid necessitatis pati, ut infirmorum curae nihil desit, esset aequum et rationabile.

Animae vero salutem omnibus praeferre meminerint; quare in primis poenitentiae sacramentum eis conferatur, nec non et eucharistiae, ad praepositi iudicium, iuxta aegritudinis qualitatem.

Curae autem infirmorum hunc praeficere decet, qui charitatis studio prae ceteris fulgeat, magna erga proximorum necessitates miseratione sit affectus. Qui et si infirmis plusquam aliis assistere debeat, ut nihilominus aliis rebus et ipse dare operam possit, vel ut si plurimorum aegrotantium cura gravetur, sublevari valeat. Ut denique ab omnibus pietatis operibus opera detur, alii etiam fratres, de superioris tamen licentia, infirmis, praesertim cum gravi detinentur morbo, vicissim assistere studebunt. Nec umquam aegrotos remanere permittat superior solos, ne in aliquo detrimentum [f. 18v] ullum patiantur.

Qua in re praepositorum et rectorum diligentiam plurimum exoptamus, sicut et illud per eos omnino praestari volumus, ut migraturis extremam unctionem dare, debitasque pro peccatorum illorum remissione et hinc felici recessu preces fieri minime negligant.

Senioribus autem non solum ut infirmis compatiendum illisque de omnibus necessariis providendum, verum etiam, ut decet iis in primis qui totum vitae suae cursum laboribus et vigiliis pondus diei et aestus in religione sustinentes peregerunt, duplex est honos exhibendus a iunioribus maxime, qui ab eis monita salutis petere et eorum acquiescere consiliis quantum potest fieri deberent. Omnes autem veluti erga patres affecti illorum defectus sufferre studebunt, illud erga eos exhibentes quod sibi, si ad hunc vitae statum devenire contigeret, vellent ab aliis exhiberi.

In quolibet autem loco nostro asservetur oleum infirmorum et libellus pro eo administrando de more patriae.

*De hospitibus recipiendis.*

Hospitalitatem sectantes iuxta apostoli sententiam, eam omni benignitate et charitate exercebunt fratres nostri.

Quod quo facilius exequi valeant, curabunt praepositi locum peculiarem hospitibus recipiendis praeparare eisque iuxta cuiusque loci facultatem, omnia necessaria subministrare atque pietatis officia impendere, ut pedum ablutionem et his similia.

Hospites vero ipsi et praeposito subdantur et caeteris exemplum taciturnitatis, silentii et modestiae praestent. Nemo autem recipiatur absque literis dimissoriis.

Quod si contigerit praepositum generalem vel visitatorem adventare, omni non tantum charitate verum etiam reverentia, ut par est, recipiantur; quos nec abire quisquam patiatur sine rationabili viatici subventione, cum non sit obstruendum os bovi trituranti.

Prohibetur autem omnino praepositis et rectoribus ne ultra tres dies quempiam retineant, qui sibi propter commissa crimin timentes ad loca sacra configiunt, cum quibus nemo nisi de licentia superioris conversabitur.

Nullus item ex nostris hospitari audeat extra conventum, nisi prius illo visitato et de licentia superioris ibidem residentis; sed neque habita licentia eundi in villam, in ea absque licentia pernoctare audeat.

Adventantes autem aliunde negotiorum gratia nec domo exeant, nec aliquid emant aut mutuo accipient, nisi de consensu superioris ibidem residentis, qui etiam omnes hospites [f. 19r] adventantes corrigere poterit ac debebit secundum statuta nostrorum constitutionum.

Nec onerosos se exhibebunt ipsi hospites domibus ad quas divertent, neque ibi remaneant ultra tempus in literis dimisso-

riis contentum; et transacto primo die et choro interesse et missas celebrare meminerint, nisi evidentia negotiorum eos excuset.

In itinere prior professione priorem locum obtineat, nisi officii ratio aliud postulet, vel per superiorem mittentem aliter fuerit ordinatum.

Ultra iter diei unius vel circa nemo concedet licentiam eundi, nisi praepositus generalis vel visitator ex causa, sed nec sibi assumat; nec praepositus vel rector ultra quinque dies absit a residentia sine venia. Adventantes autem praeposito vel rectori narrant causam sui adventus, nisi a generali praeposito vel a visitatore mitterentur.

### *De egressu domo.*

Ex Salvatoris nostri verbis percipere possumus quanti referant scandala, cum dicat: *Qui scandalizaverit unum*, etc. Idcirco ut id caveamus, nemo nostrum egrediatur domo sine comite et benedictione (quam in regressu petere non omittet), nullusque vesperi domum extra maneat dato salutationis signo. Praecipue autem huiusmodi hora prohibemus, ne quis coenandi gratia vel domo egrediatur vel extra remaneat. Etquia cibus conventualis semper sacra lectione conditur, praepositi vel rectores non passim huiusmodi extra domum concedendi facultatem concedant etiam per diem.

Egressi vero fratres nostri non alio divertent, nisi ad illum locum, ad quem eundi obitinuerint facultatem, nisi post egressum aliqua urgens vel rationabilis occasio sese illis obtulerit, quam tamen in regressu reverendo praeposito vel rectori manifestare omnino debebunt.

Inter caetera autem prohibetur accessus ad quarumcumque domos mulierum, sine expressa licentia a superiore petita atque obtenta, quam superior non tam facile concedet et non nisi prius personarum et occasionis matura habita consideratione.

Caveant autem praepositi ne nimis frequenter et passim exeundi facultatem concedant aliis sibive assumant, nec unquam collegium sine competenti numero relinquatur; atque in egressu intelligat quo quisque vadat, ne contingat plures in eodem loco apud eosdem reperiri.

Loca utem pia mulierum vel puellarum, multo magis monialium, nullus nostrum quamvis confessarius ingrediatur, praeterquam pro sacramentis administrandis, neque illarum confessiones audiat [f. 19v] sine competenti fenestrellae clausura more monialium.

*De viatoribus.*

Quia religiosus extra claustra piscis instar extra aquas veluti convincitur, ante omnia praesenti constitutione prohibemus, ne quis praetextu etiam adeundi praepositum generalem, absque licentia in scriptis obtenta, iuxta concilii Tridentini decretum, sess. 25 cap. 4 de regularibus, de loco sibi a capitulo assignato recedat. Nec liceat praepositis vel rectoribus quempiam ex sibi subditis ad praepositum generalem aliumve superiore mittere, nisi illos antea de re, pro qua mittere decreverint, certiores ficerint; qui non facile et nisi urgente de causa id eis concedent, ne detur vagandi occasio, neve pecuniae, causa pietatis nobis concessae, sine causa profundantur.

Viatoribus, item etiam vocalibus recendentibus a capitulo, praefigatur terminus in scriptis pervenienti ad locum assignatum. Ita autem superiores omnes itinerantibus provideant, ut omnis proprietatis species omnino evitetur; praecipientes omnibus ubique locorum rerum administrationem habentibus, ne viatoribus ipsis aliquid impendant, nisi ab illorum superiore in scripto fuerint admoniti. Arma autem nullius generis fratribus nostris deferri permittuntur, praeter cultros qui palmi mensuram non excedant.

Ita autem viatores nostri sese in unoquoque ad quem pervenerint loco gerant, ut apostoli dictum illud observare non praeter-

mittant: *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum.*

Supellectilem, si quam secum deferent, eam tantum de praepositi vel rectoris licentia quisque asportabit, quae et statui conveniat et itineri non sit impedimentum. Quod si quis conciones vel cathedras professus, vel literarum studio deditus, scripta vel libros asportare necesse habuerit, id de praepositi generalis vel visitatoris vel praepositi vel rectoris (si fuerit subditus) licentia in scriptis obtenta, non alio modo praestabit. Quilibet insuper scriptum deferat, in quo omnia asportata contineantur, obsignatum manu superioris a quo recedit, quod illico superiori ad quem accesserit ostendere debet. Nemo denique ullius collegii libros ad aliud audeat transferre absque praepositi generalis licentia, qui maxime pro sua prudentia animadvertet, ne alter alterius pinguecat rebus opimis.

Fiat autem itinerarium in principio itineris, atque in fine semper intretur in ecclesiam, quocumque quis perveniet ad nostra loca.

*De recreatione.*

[f. 20r] Ut iuxta sapientis sententiam omnia tempus habeant, ratio ipsa postulat, ut animis laboribus occupatis aliqua indulgentia concedatur; quapropter praepositis et rectoribus liceat semel in hebdomada suis subditis aliquam animi relaxationem concedere, vel domi vel extra, iuxta cuiusque indigentiam. Caeteris vero diebus, ubi a prandio vel a coena per horam vel circa interloquendum simul fuerint commorati, dato campanulae signo omnes ad propria obeunda munera statim proficiscentur. Qua in re curabit reverendus praepositus, ut otia tollantur omnisque vagandi occasio extirpetur. Ludos autem omnes, quibus vel nimium temporis consumuntur vel scandalum aliquod generari possit, omnino prohibemus. Et in omnibus nemo praepositi seu rectoris iudicium excedat.

*De literis scribendis et inscriptionibus earum.*

Nemo literas scribat mittative, neque ad se missas accipiat, iuxta regulam sancti patris Augustini, sine praepositi vel rectoris licentia et absque sigilli loci in quo degit impressione. Cuius rei gratia praepositus vel rector sigillum loco conveniens retinebit cum sculptura patroni ecclesiae.

Superscriptiones autem literarum hunc in modum fient: praeposito generali videlicet *admodum reverendo patri nostro* scribent; praepositis et rectoribus, patribusque vocalibus capituli *multum reverendum patrem* assignabunt; caeteris vero sacerdotibus *reverendum dominum* tantum attribuent. Quod si ex laicis cuiquam scribere contigerit, vel etiam quibuscumque aliis in sacerdotali ordine minime constitutis, illos vel *carissimos* vel *honorandos in Christo fratres* iuxta cuiusque qualitates appellabunt.

Cum vero alicui ex nostris aliquem congregationis nostrae locum petere contigerit, literas quas defert, praeposito vel rectori, cuicunque dirigantur, offerat.

Caveant autem omnes, ne inter scribendum quid incaute vel (quod Deus avertat) callide quid conscribant, quo congregationi vel alicui ex fratribus in aliquo detrahant. Non secus autem inter loquendum quam in scribendo, diversarum personarum graduum consideratio est habenda, ut cuique is exhibeat honos, quem et virtutes, gradus, aetas et conditio postulant.

*De otio vitando.*

[f. 20v] Quia otia si tollas perierte cupidinis artes, ideo curabunt praepositi omnes et rectores omnes fratres nostros in aliquo exercitio occupare, etiam sacerdotes qui nec studio, nec contemplationi, nec sacramentorum administrationi incumbunt, diutius non permittentes aliquos vase discurrere vel otiose vagari. Quare huiusmodi discant tonsuram facere, suere, panem conficere et huiusmodi.

*De ordine et loco cuiuscumque.*

Praepositus generalis primum locum semper obtinebit, et post ipsum vicarius generalis coeteri superiores locales primum locum inter suos subditos. Si autem alii superiores locales convenerint hospitii gratia, praeposito vel rectore locali primum locum obtinente, caeteri observabunt professionis ordinem. Aveniente autem visitatore illius provinciae, is praecedet etiam praepositum et rectorem localem durante visitatoris officio. Quando autem rationem maioris ordinis contingit quempiam praecedere antiquorem se in professione, ubi prior professus eundem acquisierit ordinem, tunc suum locum obtineat secundum professionis antiquitatem.

*De tempore comitiorum vel dietae.*

Ne absentibus praepositis et rectoribus contingat aliquid erroris, praesenti constitutione decernimus ut, praeposito vel rectore decedente sive comitiorum sive alterius rei gratia, congregato capitulo conventionali videat et inquirat si quid alicui opus est, ne ubi discesserit infestetur vicemgerens, qui nec sine licentia decedentis audeat aliquam expensam facere in sui vel aliorum usum, quae potuit praevideri ante illius recessum. Absente autem superiore serventur ordines et constitutiones, ac si adesset. Qua in re vicemgerens negligens repertus, vel subditus tum temporis delinquens dupli poenae subiaceat, cui subiaceret superior si adesset ob negligentiam, vel subditus coram superiore delinquens.

*De aere alieno non contrahendo.*

Quicumque superior aes alienum contraxerit sine consensu sui capituli, vel de illius consensu, at sine urgentissima causa, puniatur. Ideo in dubiis consulat praepositum generalem vel visitatores.

## **POENAE TUM GENERICAE TUM SPECIALES CONSTITUTIONIBUS CORRESPONDENTES**

*De poenis correspondentibus praevericationibus in constitutiones.*

[f. 21r] Praepositus sive rector particularis, constitutiones notabiliter in se vel aliis negligens vel non curans, vel ab officio absolvatur, vel alia poena puniatur secundum praevericationis et negligentiae quantitatem. Haec autem absolutio ad capitulum spectabit.

Praepositus sive rector particularis non faciens legere constitutiones et ordines puniatur poena gravioris culpae ad arbitrium praepositi generalis vel visitatoris; et si perseveret in negligentia notabili, absolvetur ab officio ut supra. Huius rei gratia sit in unoquaque collegio liber, in quo describantur annuatim acta capituli, vel dietae, vel visitatorum ordinationes spectantes ad observantium.

Accipiens locum novum contra formam constitutionis, et acceptio nulla erit et per tres dies gravioris culpae poenae subiacebit. Qui autem clausuram regularem violari permiserit, subiacebit poenae gravissimae culpae, praeterquam quod etiam erit excommunicatus qui in collegiis clausuram violarit introducendo mulieres.

Fabricam inchoans vel mutans absque licentia praepositi generalis deponatur ab officio, si fabrica est inutilis vel damnos a valde; si autem ad propositum et apta, per tres dies poenae gravioris culpae subiaceat, a qua non aberit qui alienaverit vel mutaverit stabilia sine debita facultate; sed et deponatur, si damnum est magnum. Cui depositionis poenae subiaceat, qui bona religionis, quorum est administrator, notabiliter neglexerit, vel obligationes spirituales ut missarum et anniversariorum implendas nil curavit.

Qui litem vel causam inchoaverit sine speciali licentia, iuxta causae qualitatem puniatur poena gravis et gravioris culpae.

Qui neglexerit secundum constitutionem de missarum celebratione agere in choro vel ecclesia, quae sui sunt muneris vel ordinis, vel specialiter, vel generaliter, si inde scandalum vel administrationem saecularibus oriatur, poenae gravioris culpae subiaceat. Qui

autem officium divinum vel *Pater noster* respective non recitare convictus fuerit, eidem subiacebit poenae tot diebus quot [f. 21v] fuerit negligens; et praepositus qui totum officium in choro recitari et decenter non curabit, ad ratam eadem poena punietur.

Qui circa ecclesiae et paramentorum et vasorum sacrorum nitorem fuerit negligens, si subditus fuerit, gravis vel gravioris culpae poenae subiacebit iuxta negligentiae mensuram; si autem fuerit praepositus et rector, si negligentia est notabilis, puniatur graviter in comitiis.

Qui orationi mentali non affuerit, poenae mediae culpae subiaceat; et si in consuetudinem duxerit, gravis culpae subiacebit, quod et in caeteris intelligatur augeri scilicet semper poenam, dum culpa augetur notabiliter. Et superiores negligentes circa illam, vel in se vel in aliis, puniantur poena gravis vel gravioris culpae iuxta qualitatem negligentiae.

Qui circa confessionem et communionem non observarit constitutiones, poenae culpae gravis subiacebit et gravioris, si in consuetudinem duxerit; idem omnino statuentes contra peccantes in constitutionem de confessariis et parochis, quamvis delinquentes essent superiores. Qui quidem superiores eidem poenae subiaceant, si quae sancta sunt in constitutionibus de concionatoribus et lectoribus non curarint observari; ad quam eandem poenam reducimus transgressiones contra duas sequentes constitutiones de ratione studendi et de cantu.

Qui contravenerint constitutioni de habitu, puniantur poena vel levis, vel mediae, vel gravis, vel gravioris culpae iuxta magnitudinem delicti ad iudicium praepositi generalis, vel visitatoris, vel cuiusvis superioris particularis cum interventu duorum ex prudentioribus sui capituli conventionalis. Si autem delinquens fuerit de vocalibus capituli generalis, is puniatur semper poena graviori.

Qui locum sibi assignatum vel munus pertinaciter respuere et obedientiae se opponere ausus fuerit, is se capitularis fuerit puniatur ad arbitrium, si autem non fuerit capitularis privetur ad annum voce in conventu in quo fuerit. Qui autem locum vel munus quaesierit, is de hoc convictus puniatur medietate poenae practae. Tardius autem veniens in chorum, triclinium, capitulum-

que culpae levis poenae subiaceat; et si in consuetudine ierit, culpae mediae et aliquando gravis poenae subiaceat.

Qui aliquid contra constitutionem de paupertate admiserit, ultra poenam a concilio Tridentino inflictam contra proprietarios, [f. 22r] puniatur etiam severe, vel prorogando poenam concilii, vel loco eum privando, vel vestes omnes novas ei prohibendo, vel carceri mancipando iudicio praepositi generalis vel visitatoris, vel etiam cuiusvis praepositi de consilio duorum ex prudentioribus. Et quicumque superior dederit causam peccandi in paupertate non providendo necessaria, ad iudicium praepositi generalis vel visitatoris eidem poenae subiaceat. Nec possit remitti poena peccantis in proprietatis vitio, nisi a praeposito generali, vel comitiis et dieta. In poena autem infligenda, habenda est ratio quantitatis, qualitatis, malitiae, consuetudinis et huiusmodi; nulla tamen culpa, vel minima, in hac materia transeat sine poena.

Qui in familiaritatibus suspecti fuerint contra constitutionem de castitate a praeposito erunt monendi, deinde per praeceptum cogendi, tandem de loco amovendi, et tunc non sine poena infligenda ex eo quod praecepto ille non obtemperaverit. In reliquis remittimus nos ad dicta in titulo de culpa gravissima et eius poena. Si autem suspecti erunt vehementi et violenta suspicione, confessarii suspendantur ab audiendis confessionibus, si monitionibus et praeceptis antea factis non obtemperaverint.

Qui ieunia nostra violarit poenae mediae culpae, vel gravis subiaceat iudicio praepositi vel rectoris; qui vero ecclesiastica et de praecepto, puniatur poena gravioris culpae, nec ulla admittatur excusatio, si licentia non petatur ante violationem ieunii. Qui disciplinae non interfuerit eam exercendo, poenae gravis culpae subiaceat; multo magis superior qui eam exercere non curavit, vel aliquid exhortationis praemittere praetermisserit, vel loco exhortationis aliquam brevem lectiunculam non praelegi fecerit. Cui poenae pariter volumus subiacere praepositos et rectores, qui saltem semel in hebdomada et culinam non intrarint ad videndos cibos et per mensas non discurrerint ad videndum partitionem illorum; idque ex improviso faciant, ut negligentias melius detegant. Sed ab hac poena non abeunt vel qui pietantiam sine licentia praeter communem assumpse-

rint, vel qui cum saecularibus sine dicta licentia comederint. Qui autem secundae mensae ultra primam interfuerit, vel aliquid sine venia alteri porrexerit, vel silentium fregerit in triclinio, is vel levis vel mediae culpae poenae subiaceat ad superioris arbitrium.

Superior qui capitulum ad culpas dicendas non coegerit ut in plurimum iuxta constitutiones, vel contractum fecerit sine consensu capituli conventionalis puniatur poena gravioris culpae. Qui autem [f. 22v] in dicto capitulo contendere ausus fuerit, eidem subiaceat.

Qui in choro silentium quoad nutus risusque, nedium quoad verba non observarit, vel vesperi dato signo eundi cubitum, vel incautus fuerit in alloquendis mulieribus vel infirmarum mulierum confessionibus audiendis, vel de murmure fuerit convictus, multo magis de detractione, is poenae gravis vel gravioris culpae subiaceat, habita ratione modi delinquendi.

Qui circa infirmos visitandos et iuvandos leviter negligentiores fuerint, poena culpae levis puniantur; qui medio modo, mediae; qui graviter, gravis; qui gravius, gravioris; qui tandem gravissime, poenae etiam gravissimae culpae subiacebit ad iudicium praepositi generalis, vel visitatoris, vel etiam praepostiti vel rectoris particularis cum consilio tamen prudentiorum. Ita etiam iudicetur circa seniorum curam.

Superiores negligentes circa hospites, vel hospites inobedientes et minus observantes puniantur poena mediae, vel gravis culpae, et aliquando gravioris iuxta culpae mensuram ad iudicium ut supra respective.

Qui a domos mulierum sine licentia speciali accesserit, vel alio diverterit ac facultatem obtainuerit, maxime contra mentem superioris, is loco carceris domi remaneat per quindecim dies pro singula transgressione. Qui autem superiores fuerint negligentes in inquirendis accessibus egredientium, vel in relinquendo collegio sine competenti numero, excepto die recreationis particulariter ad id assignata, poenae gravis vel gravioris culpae subdantur. Ubi autem inherit cura animarum, superior non curans parochum vel alium loco eius semper domi residere ad vietanda scandala et ad succurrendum animarum saluti, eidem poenae subiaceat. Qui autem loca mulierum et puellarum, multo

magis monialium, fuerit ingressus praeterquam sacramentorum gratia, is privetur voce activa ad arbitrium definitorum ultra praepositum generalem; si autem earundem confessiones audierit absque fenestella competenter clausa more monialium, is privetur voce vel loco respective ad annum.

Qui iter arripuerit, vel alium miserit contra constitutionem de viatoribus, poena gravioris culpae communiter puniatur; a qua non aberit superior necessaria pro itinere non ministrans, nec subditus quicquam sine licentia asportans, multo magis libros collegio alicui destinatos. Qui autem [f. 23r] itinerarium non dixerit, vel ad accessum ecclesiam illico non fuerit ingressus, poena mediae culpae puniatur. Qui autem ad praefixum terminum ad locum suum non pervenerit, puniatur poena gravioris culpae, nisi causa rationabilis excusarit ad arbitrium superiorum.

Superiores quique qui vel in recreandis subditis fuerint negligentes, vel in eis amovendis a nimia temporis iactura per claustra, puniantur poena gravis culpae. Cui et subiaceat contraveniens constitutioni de literis scribendis; gravioris culpae poenam laturi, qui in literis detrahent alicui, multo magis qui literas superioribus directas aperuerint vel detinuerint.

Qui in otio notabili fuerit convictus, vel superior id permittens, poenae gravis culpae subiaceat; a qua non aberit qui locum debitum in sedendo non tenuerit in aliorum praeiudicium.

*Aliqua de poenis exempla communia.*

Cum nostrae constitutiones ad culpam non obligent, aequum est ut earum transgressores saltem poena aliqua afficiantur, ne legum institutione contenti, illarum observantiam negligamus.

Circa poenas autem in primis illud occurrit admonendum quod, si aliquis convictus fuerit de culpa notabili, pro cuius punitione in constitutionibus nulla specialis poena imponitur, tunc superior loci, coassumptis duobus aut tribus de discretioribus fratribus sui conventionalis capituli cum eis consilio habito fratri convicto dignam imponat poenam.

Quando vero in constitutionibus penalibus imponitur poena privationis ab officio etiam ipso facto incurrenda, propter multa pericula quae inde contingere possent, declaramus in eam non incurri, nisi ubi incidentes eam fuerint in capitulo vel dieta convicti coram superiore, et per eius sententiam condemnati.

Quando autem quis privabitur loco et voce, tunc nulli intererit electioni activae vel passivae, neque statum aliquem obtineat in congregatione; et in capitulo conventuali post laicos et novitios dicat culpam suam, nec adsit dum alii professi eam dicent, et ubique fuit cum aliis, ultimum locum obtineat.

Apostatarum absolutio ad solum spectet praepositum generalis, qui tamen eam possit cum visum fuerit committere, at non passim nec sine urgente causa.

Sub poena tamen excommunicationis visum est prohibere, ne quis contra suum superiorem sive generalem sive specialem conspiret, aut colligationem malitiosam faciat in eum, vel aliud in honestum [f. 23v] et illicitum, unde in congregatione vel loco aliquo eius oriri possint divisiones aut partes. Et sub eadem poena precipimus, ne quis iuramento fide praestita confederationem faciat cum altero de sibi invicem mutuo non deficere; in dissensionibus sub eadem poena poterit et praecipere quisque superior urgenti aliqua de causa, non tamen passim.

Culpas autem in quinque secernimus differentias: in levem, in medium, gravem, graviorem et gravissimam.

*De culpa levi et eius poena.*

Culpa levus est, ut si quis male legat, vel cantet sine scandalo; si quis vehementius rideat, biretum non rectum portet, caput non aperiat suis maioribus, currat per claustrum immoderate et minus religiose, et huiusmodi.

Talibus imponatur aliquis psalmus, vel oratio, vel terrae deosculatio et huiusmodi, petita prius venia.

*De culpa media et eius poena.*

Media culpa est, ut in divinis officiis immoderate se gerere, levitatem risu vel gestu ostendere, si quis aliud cantare vel legere praesumpserit, quam sui chori usus communis solet; si quis turpem sermonem, vel vaniloquium in usum habuerit; si quis in officio sibi assignato negligens, tardus et immundus fuerit; si quis genuflexiones et reverentias debitas in choro, ecclesia et coram suis superioribus praetermisserit; si quis in claustrum, multo magis in cubiculum quempiam ex secularibus introduxerit contra ordinaciones praepositi generalis, visitatoris, vel praepositi particularis, qui omnes current clausuram observari quo ad eius fieri poterit; et huiusmodi, ut ad mensam excandescere, musitare et huiusmodi.

De his omnibus veniam petat, si quis incurrit, et poterit sic delinquenti imponi comedio in terra, vel exosculatio terrae penes cuiusque accubantis pedes, vel si sacerdos et ex maioribus praecipue ut legat ad mensam, vel huiusmodi.

*De culpa gravi et eius poena.*

Culpa gravis est, ut in honeste coram saecularibus contendere, vel ita in suo munere deficere, ut inde scandalum aliquod [f. 24r] vel magna admiratio saecularibus oriatur: ut si quis iniuria lacessitus, iniurante veniam petente, eam ei negarit; ut si quis indumenta, libros vel aliud alteri concessum sine venia acceperit; si quis cum saecularibus, vel cum suo superiore contenterit; si quis in usum venerit talem ut malitiosis verbis utatur contra pudicitiam, vel pacem, vel iurare consueverit, vel ieiunia fregerit a constitutionibus indicta eo usu qui sit veluti interpretatus contemptus; si quis cellam, vestem aliquam, librum vel huiusmodi cum alio sine licentia commutaverit; si quis dato signo eundi cubitum sine lecentia remanserit, in cellam alterius ierit, vel alium in sua acceptaverit spatio notabili; si quis inordinata locutione vel iocosa cum mulieribus reprehensibilis extiterit, unde mala suspicio oriri possit.

Pro his et huiusmodi culpis, si sponte quis veniam petierit, comedat in terra absque obsonio; si autem accusatus, poena praedicta vel duplicitur, vel disciplina iungatur facienda ad orationem mentalem, caeteris dicentibus *Miserere*, vel silentium tot dierum imponatur, vel privetur loco suo et ultimus sedeat per tot dies, vel huiusmodi.

*De culpa graviori et eius poena.*

Culpa gravior erit, si quis praeceptum sibi factum in virtute sanctae obedientiae a superiori transgressus fuerit; si quis ebrius fuerit deprehensus; si quis aleis, vel taxillis luserit; si quis aliquid a suo praelato occultarit, praesertim si pecuniam tenuerit, expenderit vel rem notabilem acceperit ab aliquo et non praesentaverit; si quis res praeiudiciales congregationi, vel alicui ex nostris saecularibus revelaverit; si quis aliquem ex fratribus infamaverit; si quis in tactibus, osculis et similibus impudicitiae actibus fuerit tum domi tum multo magis extra deprehensus, et huiusmodi; si quis tandem arma tulerit, vel armis fuerit alicui minitatus, vel tandem notabile scandalum vel domi vel extra commiserit.

Talia committentibus imponatur ut maneant tot diebus in thalamo, venientes solum ad chorum et ad triclinium cum caeteris, sed in choro ultimum locum teneant, vel in refectorio comedant in pane et acqua; et durante poenitentia nemo illos alloquatur vel cum eis conversetur, nisi aliquis ex prudentioribus missus a superiori pro consolatione spirituali, ne labantur in disperationem. Magis autem et minus aggravabitur poena iuxta magnitudinem culpe, scandali et humilitatis delinquentis.

*De culpa gravissima et eius poena.*

[f. 24v] Gravissima culpa erit eius qui est incorrigibilis, tum culpas non timendo committere, tum poenitentiam facere recusando; et etiam si quis in adulterium, vel fornicationem (quod Deus avertat) inciderit; si quis apostataverit; si quis pecuniam in

quantitate habere apud se vel apud alium proprio nomine fuerit compertus; si quis alium percusserit incidendo in excommunicationem a solo Papa absolvibilem; si quis incarcerato ob magnam causam opem contulerit ad fugam; si quis infamaverit praeposatum generalem vel totam congregationem apud praelatos vel principes; si quis mulierem in clausuram regularem introduxerit, vel huiusmodi quid commiserit.

Pro huiusmodi et similibus vel delinquentes incarcerentur tanto tempore, vel priventur voce activa et passiva, vel priventur loco suo et iure praecedentiae, vel condemnentur per tantum temporis vestes novas nullas deferre, vel plures ex praedictis poenis in unam uniantur, plus minusve duraturae iuxta rationem delicti, scandali, corrigibilitatis, occasionis et huiusmodi. Ad culpam gravissimam etiam pertinebit appellatio a correctione regulari, cum non venerimus contendere, sed crucem gestare.

Declaramus autem ad cautelam haec omnia facienda esse sine interventu saecularium, seclusa necessitate invocandi brachium saeculare ad incarcerandum. Gravissimae autem culpae a solo praeposito generali puniantur, vel vicario eo absente, vel a visitatoribus; et processus et sententias fideliter in archivio asservari mandamus, cuius claves numquam dentur alicui, qui non sit vocalis in capitulo generali.

Item declaramus quod si aliqui fuerint, qui iudicio praepositi generalis, visitatorum, consiliariorum et diffinitorum, vel iudicio maioris partis praedictorum non possint in communi sive gravi scando aut periculo tollerari, incarcerentur donec emendati dignoscantur. Quod si nec ita emendationem praeseferant, tales per totum capitulum alicui episcopo, vel hospitali, vel huiusmodi assignentur ad tempus puniendi a diocesano, si inde deliquerint, nec in eo loco degere permittantur, in quo apud nos deliquerunt, vel in quo nobis offendiculum esse possint.

Item declaramus nullum posse cum incarcerato loqui sine licentia; et omnem praepositorum teneri carcerem construere, tutum quidem sed valetudini minime adversum et remotum quo ad eius fieri poterit.

Item declaramus pravam consuetudinem delinquendi [f. 25r] augere poenam, ita ut assuetus culpae levi censeatur cadere in medium.

Itel declaramus puniendum eum qui, cun habuerit locum accusandi quempiam coram suo praelato et non accusaverit, postea malitiose per litteras eum diffamat vel alio modo; necnon et eum qui alicui crimen obiecerit, de quo alias poenitentiam egerit et correctus fuerit.

Item declaramus quod si quis aliquod crimen commiserit apud leges maxime punibile, talis incarcерetur, nec inde liberetur, nisi plenis comitiis gratiam impetrarit. Quod si quis de familiaritate cum aliqua muliere fuerit suspectus, charitable a suo praelato moneatur; si non se emendaverit, coram tribus de senioribus praelatus imponat paeceptum in scriptis de non alloquendo illam, nec per se, nec per interpositam personam, nec per litteras.

Nullatenus autem tollerandi sunt rebelles, inobedientes et contumaces, at potius graviter puniendi a superiore loci de consilio duorum vel trium e prudentioribus.

### *De quibusdam poenis peculiaribus.*

Quoniam autem in moralibus particularia magis monent, ideo quasdam poenas peculiares his subnotabimus, ut inde facile conisci possit quid agendum sit, ubi particularis poena non est apposita.

Qui igitur non advertens mentemque vagari permittens errorem aliquem in dicendis horis commiserit, si levis error fuerit, clerici deosculentur terram, sacerdotes medio manus idem peragant; sin autem notabilis, petat veniam in choro post officium vel in refectorio.

Qui altero confessario, quam deputatis vel aliquando transiunti alicui ex vocalibus, confessus fuerit, sciat confessionem ipso iure irritam et insuper tribus diebus silentium servet manendo in cubiculo, vel aliter puniatur ad arbitrium.

Confessarius vero non deputatus, quemquam ex fratribus audiens, comedat in pane et acqua uno die.

Qui post annum inventus fuerit aut nihil aut parum admodum profecisse in studiis, iis privetur et qui referant fructum substituantur.

Cum studentes extra claustrum ad lectiones ire contigerit, si studiorum fuco alio diverterint, pro prima et secunda vice comedant in terra, pro tertia per mensem domi maneant; quod [f.25v]

si non se emendaverint studio priventur, vel ad arbitrium puniantur a praeposito generali vel a visitatore.

Si qui ab officio sive a quacumque alia religionis observantia exempti eo tempore studio operam non dederint, eo ipso exemptionibus sint privati. Canere cantilenas minus convenientes et honestas deprehensi pro quacumque vice veniam petant in refectorio et ad arbitrium puniantur.

Qui absque nostro habitu vel chorū ingressus fuerit, vel se in publico loco claustrī videndum exhibuerit maxime saecularibus, petat veniam et puniatur ad arbitrium.

Introducens mulieres in collegia nostra vel ingredi sinens noverit ipso facto excommunicatum se esse, quod si constiterit, carceri mancipetur ad arbitrium generalis. Id autem committens in locis orphanorum, puniatur ad arbitrium eiusdem iuxta occasionem seu causam.

Qui superioris particularis voluntati rationabili non acquieverit, prima vice comedat in terra, secunda in pane et aqua in medio triclinii; si ultra processerit, puniatur ad arbitrium superioris de consilio duorum ex discretioribus.

Deprehensus non habens administrationem pecuniam expendere et retinere, prima vice, si quantitas non excesserit decimam partem aurei, comedat in terra, secunda vice octo diebus poeniteat persistendo in cella et servando silentium. Si autem quantitas fuerit notabilis vel saepe saepius idem commiserit, si vocalis, ultra praedictam poenam etiam poenae a concilio Tridentino proprietatis assignatae subiaceat et ultra per annum; si clericus sit non vocalis, privetur loco per biennium; laici per mensem bis in hebdomada disciplinam faciant ad orationem mentalem.

Si quis convictus fuerit de vitio indicibili vel confessus fuerit, carceri mancipetur et aliis poenis ad arbitrium generalis puniatur.

Qui mulierum familiaritates ad praescriptum praepositi vel rectoris non vitaverit, vel cum aliqua suspecta private loqui repertus fuerit, tribus diebus in pane et acqua ieiunet. Si autem aliquod scandalum ortum fuerit, vel oriri probabiliter dubitatur, de loco omnino erit dimovendus. Qua in re caveant praepositi et rectores ne levibus suspicionibus moveantur.

Sine socio domum qui fuerit egressus et sine benedictione, per mensem domi maneat vel ad arbitrium puniatur.

Qui post salutationem angelicam vesperi absque necessitate [f. 26r] et licentia extra domum remanserit, tribus diebus petat veniam ad mensam.

Si negligentia superioris aliquis e vita cesserit sine ecclesiae sacramentis, ieiunet in pane et aqua ad praepositi generalis arbitrium.

Inventus portare arma prohibita vel tenere, per quae convincatur suspectus de offendendo, ipso facto per sex menses coniciatur in carcerem, vel domi remaneat per annum cum comedione in terra qualibet sexta feria.

Veniens de extra ad locum aliquem religionis et divertens ad domus secularium vel religiosorum, tribus diebus infra octo dies ieiunet in pane et acqua si pernoctaverit, si autem tantum comedierit uno die eandem poenitentiam sustineat.

Si quis aliquid habuerit quod superiori loci a quo recedit non ostenderit, aut omnium rerum quas secum affert scriptum non habens manu illius obsignatum vel sigillo et superiori ad quem accesserit non praesentaverit, rerum illarum usum amittat.

Qui unius collegii libros ad alium sine licentia praepositi generalis in scriptis detulerit, ieiunet tribus diebus in pane et aqua.

A religione post professionem discedens et alterius religionis habitum sumens, si reverti voluerit tamquam novitus, in religionem recipiatur viliaque ei imponantur munera obeunda.

Qui dato signo silentii vesperi vel meridie aestivo tempore, illud non observaverit, petat veniam in triclinio et ad arbitrium puniatur.

Silentium notabiliter in choro et refetorio sine licentia frangentes petant veniam in refetorio et ad arbitrium puniantur.

In culpis dicendis, si quis cum fratre altercatus fuerit vel superiori maiori quam par est licentia responderit, petat veniam et puniatur ad arbitrium.

Qui aliquid revelaverit de dictis in conventuali capitulo, voce privetur usque quo et puniatur iuxta rei gravitatem de consilio prudentiorum.

Quicumque de superiore vel de fratre aliquo sciverit aliquid, quod in animae eius praeiudicium aut religionis scandalum emer-

gere possit, nisi eum monuerit, et si monitus neglexerit corrigi, non indicarit poenam quam culpa illius exigit sustinere cogatur vel aliter ad arbitrium puniatur.

Si quis alicui crimen obiecerit, asserens se illud scire, ut qui fuerit conscient vel particeps criminis, quod et iuramento se [f. 26v] ingerat affirmare, si iste obiiciens usque tunc laudabilis conversationis extiterit et cui obiicitur aliquod simile alias commiserit et apud graves personas religionis sit opinio eius lesa, licet non sit ad poenam procedendum, nihilominus de loco ubi tale quid commisisse dicitur removeatur et in alio loco collocetur.

Qui sine licentia literas miserit aut receperit, per sex menses nullas possit mittere aut recipere, aut semel disciplinam faciat, aut arbitrio puniatur.

Qui convicti fuerint pactiones inisse ad invicem pro eligendo praeposito generali vel aliquo alio superiore, de capitulo excluantur per triennium.

Superiores modum in correctionibus, ut traditum est, exceudentes, a capitulo coercentur vel a visitatoribus omnino.

Qui irato animo alicui comminatus fuerit, si inde scandalum notabile secutum fuerit, tribus diebus ieunet in pane et aqua, sin secus uno die tantum ieunabit.

Quicumque alienaverit, impignoraverit, vel obligaverit calicem vel crucem argenteam et huiusmodi, praetium duorum aureorum excedentis, sine licentia praepositi generalis vel capituli conventionalis et sine urgenti necessitate, per biennium privetur officio. Qui autem alienaverit libros cuiuscumque valoris, pro mensura delicti puniatur privatione vocis vel loci.

Superiores excommunicationis sententiam ferentes, sed non in scriptis, poenae gravioris culpae subiaceant; similiter et appellantates a correctione regulari superiorum.

Quicumque aliquid notabile deposito habuerit, vel aliquid sibi dono fuerit traditum, illud spatio viginti quatuor horarum suo superiori non ostenderit, vel contra eius voluntatem retinuerit, privetur voce ad annum.

FINIS

# INDICE

*Introduzione* p. I

*Liber constitutionum Clericorum Regularium S. Maioli Papiae  
seu Congregationis Somaschae*

## I

*Constitutiones genericae et universales*

De comitiis celebrandis	p. 1
De reverendissimo generali eligendo	p. 5
De electione vicarii generalis et eius munere	p. 6
De electione et munere consiliariorum	p. 7
De diffinitorum electione et munere	p. 8
De electione et munere visitatorum	p. 8
De procuratore generali et particularibus instituendis	p. 11
Qui numero vocalium capitulo generalis sint adscribendi	p. 11
De cancellario eligendo	p. 12
Qui in praepositos et rectores eligendi sunt et eorum facultate	p. 13
De novitiis recipiendis	p. 15
De promovendis ad ordines	p. 16
De fabricis erigendis	p. 16
De modo procedendi in correctionibus	p. 17
De dispensatione et exemptione	p. 17
De cura et regimine orphanorum	p. 18
De aggregandis	p. 20
De apostatis	p. 20
De excessibus superiorum	p. 21
De mutatione personarum	p. 21

## II

*Constitutiones specifcae et particulares*

Constitutiones personas in specie concernentes et poenae eis correspondentes	p. 22
De horis canonicis	p. 24

De missarum celebratione	p. 24
De ecclesiis et earum cultu	p. 25
De oratione mentis	p. 26
De confessione	p. 26
De communione	p. 27
De confessariis et parochis	p. 28
De concionatoribus et lectoribus	p. 30
De ratione studendi et qui admittendi sint	p. 31
De cantu et eius usu	p. 32
De habitu tum clericorum tum laicorum	p. 33
De obedientia	p. 35
De paupertate	p. 36
De castitate	p. 37
De ieunio, qualitate ciborum et disciplina	p. 38
De culpa dicenda	p. 39
De silentio servando	p. 40
De aegrotantium cura	p. 40
De hospitibus recipiendis	p. 42
De egressu domo	p. 43
De viatoribus	p. 44
De recreatione	p. 45
De literis scribendis et inscriptionibus earum	p. 46
De otio vitando	p. 46
De ordine et loco cuiuscumque	p. 47
De tempore comitiorum vel dictae	p. 47
De aere alieno non contrahendo	p. 47

### III

*Poenae tum genericae, tum speciales constitutionibus correspondentes*

De poenis correspondentibus praevaricationibus in constitutiones	p. 48
Aliqua de poenis exempla communia	p. 52
De culpa levi et eius poena	p. 53
De culpa media et eius poena	p. 54
De culpa gravi et eius poena	p. 54
De culpa graviori et eius poena	p. 55
De culpa gravissima et eius poena	p. 56
De quibusdam poenis peculiaribus	p. 57



tipolitografia emiliani - rapallo